Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
31
9 C
22
FONDO EKORENSE

Digitized by Google

HISTORIA
UTRIUSQUE TESTAMENTI

AUCTORE

CAROLO ANTONIO ERRA

Mediolanenſi Congregationis Clericorum Regularium MATRIS DEI.

TOMUS SECUNDUS.

A MOTA IN HEBRÆOS ÆGYPTIORUM PERSECUTIONE USQUE AD MOYSIS OBITUM.

VENETIIS MDCCLX.

APUD SIMONEM OCCHI

Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.

Digitized by Google

FRIDERICUS SARTESCHI

Rector Generalis Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei.

CUm Opus inſcriptum: *Hiſtoria utriuſque Teſtamenti* &c. a P. Carolo Antonio Erra exaractum, duo ex noſtris Theologis, quibus id commiſimus, examinaverint, & in lucem edi poſſe cenſuerint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, ſi ita iis, ad quos ſpectat, placuerit. In quorum fidem &c.

Romæ ex noſtris Ædibus S. Mariæ in Porticu de Campitello, hac die 2. Februarii 1750.

Fridericus Sarteſchi
Rector Generalis.

Antonius Perona Secr.

JUſſu Reverendiſſ. Patris Joſephi Auguſtini Orſi ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtri vidi poſteriores ſex Tomos, a tertio nempe uſque ad octavum incluſive, *Hiſtoriæ utriuſque Teſtamenti* ab admodum R. P. Carolo Antonio Erra Congregationis Regul. Matris Dei ſumma fide, ac diligentia concinnatæ; nihilque in hoc opere inveni, quod non apprime conſonum ſit Catholicæ Religionis Dogmatibus, ſanæque morum diſciplinæ, imo plurima in eo conſpexi exactiſſimi judicii ſpecimina, quoad enodationem difficultatum, quæ tam circa Chronolo-

giam, quam circa res hiſtoricas ſacræ Scripturæ, eorumque intelligentiam occurrere poſſunt, ut eruditis omnibus, ac divinæ Scripturæ ſtudioſis lectionem ejuſdem operis, quod quidquid dignum ſcitu eſt, mira brevitate comprehendit, jucundam fore putem. Quapropter cenſeo dignum illud omnino eſſe, quod publica luce fruatur.

Dat. Romæ in Conventu S. Bartholomei in Inſula die 28. Menſis Martii 1750.

Ego F. Joannes Ant. Bianchi Ord. Min.

OBtemperans Mandatis Reverendiſſ. Patris Joſephi Auguſtini Orſi Sac. Palat. Apoſt. Magiſtri, legi, & conſideravi laborioſum, atque ingenioſum Opus, a tertio nempe Tomo uſque ad octavum, *Hiſtoriæ utriuſque Teſtamenti*, exaratum ab admodum R. P. Carolo Antonio Erra Congreg. Regul. Matris Dei. In eo, vel eiſdem Tomis, nihil prorſus obviam habui aut veritati Fidei diſſonum, aut bonis moribus adverſum. Verum plena animi mei oblectatione adverti compendioſam claritatem, ac ſtabiles rationes, quibus Auctor factorum ſeriem enarrat, nec non emergentes difficultates egregie reſolvit. Quapropter, cum multum ſit utilitatis incumbentibus in ſtudia ſacrorum Librorum, atque omnibus, qui ſancta curioſitate ducuntur, Manuale copioſum; exiſtimo ipſum dignum prælo, & publicatione; ſi ita videbitur.

Dat. in Conventu Jeſu Mariæ de Urbe die 23. Aprilis 1750.

F. Lucas ab Aſſumptione
Auguſtinianus Excalceatus.

Hu-

Hujus ſecundi Tomi Tabula Chronologica primo Tomo præfixa habetur.

LIBER TERTIUS.

Cap. I. Perſecutio in Hebræos movetur. Moyſes aquis Nili ereptus apud Pharaonis filiam educatur. Profectus poſt homicidium in Madianitidem, Sephoræ nubit. Deus illi revelat nomen ſuum Jehovah, eumque prodigioſa virga inſtructum ad Pharaonem mittit liberandis Iſraelitis; quod munus fruſtra ille deprecatur. pag. 1.

Cap. II. Moyſes in Ægyptum redux. Pharao Dei juſſionibus obedire detrectat. Ægyptiorum Plagæ. Paſcha inſtituitur. 17

Cap. III. Cædes primorum natu Ægyptiorum. Iſraelitæ ex Ægypto pedem efferunt; quorum Primogeniti Domino conſecrantur. Ignea columna viam oſtendit. Transfretatio Maris Rubri. Varia ſyſtemata tanto prodigio evertendo confutantur. 30

Cap. IV. E Mari Rubro digreſſi ad deſertum Sin veniunt Hebræi. Aqua amara corrigitur. Fontes, & Palmæ Elim. Coturnices Iſraelitis immiſſæ. Manna quotidie pluit præter Sabbatum, unde illius Religio primum inſtituta. Manna Arabiæ longe diverſa a Manna Hebræis data. 48.

Cap. V. Ad montem Horeb aquæ e ſilice educuntur; quod prodigium varie a variis explicatur. Amalecitæ a Joſue devicti exterminio deſtinantur. Deus in Sinai Legem fert, in quam nonnulla notantur. 56

Cap. VI. Altare tumultuarium. Angelus deducendo Iſraeli promittitur. Poſt datas plures Leges, fœdus

dus Deum inter & Populum initur. Tabernaculo conficiendo multa præſcribuntur. Populus Vitulum adorat; de quo Idolo plura differuntur. Moyſes tabulis Legis confractis, ſontes punit. 74

CAP. VII. *Poſt impetratam populo veniam, ac poſt viſam Dei gloriam, novas Decalogi Tabulas ore coruſcante Moyſes ad populum defert. Donaria, & hemiſicli capitatio pro Tabernaculi conſtructione.* 90

CAP. VIII. *Deſcriptio Tabernaculi, Arcæ, Tabularum Legis, Cherubinorum, Menſæ panis propoſitionis, Candelabri, Altarium, Labri. Agitur & de cultu aſinino Judæis falſo imputato; de ratione conficiendi thimiamatis, & de mulieribus ante Tabernaculum excubantibus.* 96

CAP. IX. *Summi Pontificis veſtes, Tunica, Pallium, Ephod, Rationale, Thiara, Baltheus, ubi de ratione conſulendi Deum per Urim, & Thummim. Veſtes minorum Sacerdotum. Quædam & de vulgarium Hebræorum veſtibus delibantur.* 117

CAP. X. *Tabernaculum erigitur, Sacerdotes initiantur, ignis e cælo demittitur, Nadab, & Abiu morte plectuntur.* 128

CAP. XI. *Paſcha in deſerto celebratum. Singulæ Tribus cenſentur; omnium poſtremo & ſeorſim Levitæ, qui & initiantur. Oblationes a Principibus factæ. Tubæ argenteæ.* 137

CAP. XII. *Jethro venit in caſtra, cujus conſilio Moyſes Miniſtros adlegit. Iſraelitæ moventes e Sinai ordinate procedunt. Incenſio, ſepulcra concupiſcentiæ, Collegium 70. Seniorum, Aaronis & Mariæ murmur in Moyſem.* 147

CAP. XIII. *Exploratores in Palæſtinam mittuntur. Populi ſeditio. Sontes ſpe potiundæ Chanaanitidis mulctantur. E Cades-Barne movent Hebræi, quo poſt longam deſerti peregrinationem revertuntur.* 156

LIBER QUARTUS.

Cap. I. *Lex Moſaica omnium prima. Varia præceptorum genera. Num Hebraicæ cæremoniæ expreſſæ ſint ex Ægyptiis, an e contra? Sacerdotum, & Levitarum munera, & proventus. Primitiæ, & decimæ, Urbes ſacris Miniſtris aſſignatæ. Urbes Refugii. Nathinæi.* 162
Cap. II. *Animalia Sacrificiis apta. Varia Sacrificiorum genera. Libationes. Sacrificia pro Lepro-ſo, & vaccæ rufæ. Sanctificata non omnibus permiſſa.* 179
Cap. III. *Quodnam primum inter Hebræorum Feſta. Sabbatum. Iter Sabbati. Annus ſabbaticus. Jubilæum. Neomenia. Paſcha. Pentecoſtes. Tabernacula, ſive Scenopegia.* 191
Cap. IV. *Animalium delectus. Legalis impuritas. Lepra.* 213
Cap. V. *De Hebræorum Connubiis.* 221
Cap. VI. *Hebræorum Politia.* 232
Cap. VII. *Leges bellicæ.* 239
Cap. VIII. *Votum, Nazareatus, Judicium, Homicidium, Impudicitia, Furtum, Fenus, Mancipia, in bruta humanitas, commercium cum nonnullis interdictum.* 246
Cap. IX. *Seditio Core, Dathan, & Abiron. Aaronis virga floret. Mors Mariæ. Aquæ contradictionis. Rex Idumææ Iſraelitis tranſitum negat. Obitus Aaronis. Regnum Arad anathemati devotum.* 257
Cap. X. *Serpens æneus. Variæ Caſtrametationes. Liber Bellorum Domini. Novus puteus. Sehon, & Og Reges devicti.* 266
Cap. XI. *Balac Moabitarum Rex rogat Balaamum, ut Iſraelitas diris devoveat. Arioli illius pro-*

phe-

phetia, & peſſimum conſilium. Iſraelitarum fornicatio. Sacra Beel-phegor. 273

Cap. XII. *Ultimus populi cenſus. Filiæ Salphaad hereditatem petunt. Moyſes rogat Deum, ut ſibi vitam proroget; ſed fruſtra. Joſue in ducem deſignatus. Bellum Madianiticum. Prædæ diſtributio. Portio Tribubus Ruben, Gad, & dimidiæ Manaſſis aſſignata. Stationes Iſraelitarum in deſerto. Cultus Moloch, & Remphan. Terræ ab Iſraelitis poſſidendæ limites.* 285

Cap. XIII. *Semel & iterum Moyſes pro concione populum alloquitur. Hebræorum veſtes non attritæ. Altare in Habal, ſive in Garizim erigendum. Solemnes benedictiones, & maledictiones. Joſue Iſraelitis præficitur. Canticum Moyſis, ejuſque in ſingulas Tribus oracula.* 298

Cap. XIV. *Obitus Moyſis. Diſſidium inter S. Michaelem, & dæmonium. De illius ſepultura. Viri decora.* 313

Cap. XV. *Moyſes Pentatheuchi Auctor. Criticorum quorumdam opiniones. Duplex Pentatheuchus, alter Hebræus, alter Samaritanus. Operis diviſio, conſilium, auctoritas, tempus. Ceterorum Populorum antiquitas Pentatheuchi hiſtoriæ longe concedit. Libri Moyſi falſo adſcripti. Altera vita in Moyſis Libris expreſſa.* 321

H I-

HISTORIA
UTRIUSQUE TESTAMENTI.
LIBER TERTIUS.

Perſecutio in Hebræos movetur. Moyſes aquis Nili ereptus apud Pharaonis filiam educatur. Profectus poſt homicidium in Madianitidem Sephoræ nubit. Deus illi revelat nomen ſuum Jehovah, eumque prodigioſa virga inſtructum ad Pharaonem mittit liberandis Iſraelitis; quod munus fruſtra ille deprecatur.

CAP. I.

I. MOrtuo Joſepho, Hebræi per aliquod temporis ſpatium vitam egerunt tranquillam, mirumque in modum multiplicati, terram Geſſen late impleverunt. (*a*) Scimus autem, illos in Ægypto ad idola declinaſſe; (*b*) quam quidem fæcem neque ab Ægypto ſecedentes, neque iter per deſertum facientes, penitus abjecerunt. Contigit ut Ægypti Regnum quidam Princeps moderari cœperit, cui ignotum eſſet, quanta Joſephus Reipublicæ contuliſſet. Cum veteres Ægypti Reges eligeret populus, (*c*) ſubditique in ea regione ceu

ANNUS MUNDI 2427. ante Chriſtum 1573. *Perſecutionis in Hebræos motæ origo.*

(*a*) Exod. 1. 7.
(*b*) Joſue XXIV. 14.
(*c*) Diodor. Sicul. lib. 2. c. 1.

ſervi, & mancipia haberentur (*a*), atque a morte Joſephi ſexaginta ad minus effluxiſſent anni, pluresque proinde eo temporis intervallo Ægyptus Reges habuiſſet, mirandum utique non eſt, ſi de Joſephi beneficiis obliterata eſſet memoria. Novum hunc Regem nonnulli Aſſyrium fuiſſe putant; aliis eſt *Salatis*, primus Paſtorum Rex, qui ſibi inferiorem Ægyptum ſubegerunt; aliis *Amenophis*; aliis tandem *Rameſſes-Miamus*. Quicumque ille fuerit, cum videret, Hebræos numero, viribuſque augeri, timens ne juncti hoſtibus, qui forte ingruerent, nova molirentur in Regnum, aut e manibus ſuis, non ſine ingenti Reipublicæ detrimento, elaberentur, de illis minuendis cum ſuis Magnatibus egit. In eam rem viſum eſt opportunum, ſi majoribus, quam ferrent vires, operibus illos opprimerent. Condendis igitur *Miſchemot*, *Phitom*, & *Rameſſes*, præcepit Pharao, ut Iſraelitæ addicerentur, impoſitis, qui penſum urgerent, miniſtris duris, & immitibus. *Miſchemot*, quod redditur *Tabernacula*, aliud facile non erat, quam repoſitoria annonis e tota regione collectis, ut tritico, vino, oleo, continendis. Aſſerit Brocardus, geminas urbes Phitom, & Rameſſes quinque leucis ſupra Nili divortium, ultra amnem jacere. (*b*) Ramiſi, & Patami, quos Plinius (*c*) jungit Arabibus e latere Ægypti, ipſiſſimi Rameſſes & Phitom incolæ crederentur. Addunt hic ſeptuaginta, Hebræos fabricaſ-

(*a*) Geneſ. XLVII. 19. Terræ Sanctæ.
(*b*) Brocard. deſcript. (*c*) Plin. l. 6. c. 28.

caſſe etiam Urbem *On*, alio nomine *Heliopolim*, ſive urbem Solis; ſed nihil de ea in Hebræo, ceteriſque verſionibus. Immane Pyramidum opus illis pariter tribuit Grotius. In his autem ædificiis viliſſima quæque & maxime laborioſa Hebræis imperabantur, ad colligendam nempe, parandam, ferendamque ſtruem cæmentariam, deſtinatis.

II. Pharaonis conſilium irritum reddidit Deus; Hebræi enim quamvis vexati, attritique laboribus & ærumnis, magis magiſque in dies augebantur. Quare Rex mandavit obſtetricibus, quæ enitentes feminas Hebræas curabant, ut exceptos e partu pueros omnes, puellis tantum reſervatis, extinguerent. Sephora, & Phua, omnium primæ dignitate, & fama, cum timerent Dominum, quod forte eſſent & ipſe Hebrææ, pueris æque ac puellis parcebant. A Pharaone accitæ, ut cauſam ſuam dicerent, reſponderunt, Hebræorum feminas alterius opera uti non conſueviſſe, ut partu levarentur; ſeque prius expedire, quam obſtetrices ſupervenirent. Porro illæ fictam excuſationem pretendiſſe vulgo creduntur; a Deo tamen ſuæ in eum obſervantiæ præmium, propriis ipſarum familiis optime conſtitutis, acceperunt.

Obſtetricum pietas.

III. Molimina ſua incaſſum recidere intelligens Pharao, lato edicto imperavit Ægyptiis, ut Nili aquis mergerent Hebræorum mares, ſtatim ac in lucem editos ſcirent, ſiquidem parentes illorum renuiſſent. Sæviſſima hæc Regis lex nonniſi poſt natum Aaronem lata

Pueri Hebræorum aquis Nili merguntur.

creditur; ille enim nutritus eſt a parentibus, nemine prohibente. Quin ſuſpicamur, edictum illud haud diu viguiſſe: ſi enim toto oppreſſionis tempore, quod annos octuaginta excedit, executioni mandatum fuiſſet, ex Ægypto nonniſi ſenes educi potuiſſent. Scitum eſt, quid Rabbini comminiſcantur, Deum ſcilicet recluſiſſe terræ ſinum, ut pueros illos celaret; tum & ad eam rem prope illos conſtituiſſe duos lapides, quorum ex altero ſuggerent mel, ex altero lac; adultos tandem, e terra emerſos, parentibus reddidiſſe.

ANNUS MUNDI 2433. ante Chriſtum 1567. *Moyſis aquis Nili exponitur, ſed inde liberatur.*

IV. Poſt latam de necandis pueris legem, Jocabeda viro ſuo Amramo Moyſem enixa eſt. (*a*) Amram filius erat Caath, & nepos Levi. Jocabeda filia Levi appellatur. (*b*) Verum cum in Scriptura filiæ nomen uſurpetur interdum pro nepte, vel neptis, aut nepotis filia, vel tantum pro aliqua ex poſteris, oritur inde quæſtio, fuerit ne Jocabeda Amrami amita, an tantum conſobrina. Profecto inter amitam, & nepotem ea ſolet ætatis diſparitas intercedere, quæ nuptiis conciliandis opponatur. Moyſes fratrem habuit Aaronem, triennio ante illum natum, & ſororem Mariam, quæ quinquennio, vel ſexennio ante Aaronem in lucem prodiiſſe creditur. Parentes, quibus ob ipſius elegantiam Moyſes cariſſimus erat, trium menſium ſpatio illum domi celarunt, ne agnitus, legi a Pharaone latæ ſubjiceretur. Verum fruſtra ſe diutius pueruli

(*a*) Exud. II. Exod. V. 20.
(*b*) Num. XXVI. 59.

ruli necem dilaturos ſentientes, forte quod tunc Hebræorum ædes ab Ægyptiis ſcrutandæ eſſent, exponere illum, commiſſa Dei providentiæ ejus ſervandi cura, decrevere. Quare fiſcellæ ex juncis intextæ, ac bitumine, & pice linitæ impoſitum, in Nili ripe dereliquerunt, Maria interim, infantis ſorore, rei eventum procul obſervante. Accidit inter hæc ut filia Pharaonis, quam Joſephus *Thermutim*, Artapanus *Merim*, Chronicon Alexandrinum *Myrrinam* appellant, ancillis comitantibus, ad flumen, ſive corpori, ſive pannis lavandis, veniens, ciſtellam inter arundines conſpicata, ad ſe deferri, atque aperiri juberet. Infantem in ea reconditum intuita, oris elegantia, atque rei miſeratione (ſtatim enim Hebræum eſſe intellexit) commota eſt. Maria occaſionem nacta, petiit, num nutricem aliquam Hebræam alendo puero quæritari vellet. Nec mora; annuente Regina, Jocabedam matrem ſuam duxit, cui nutriendi infantis, promiſſo pretio, cura demandata eſt. Non defuit illa muneri ſuo, adultumque duxit ad filiam Pharaonis, quæ in filium jure adoptionis adſcitum, Moyſem appellari voluit; quod Moyſes Ægyptiorum ſermone, eductum ex aquis ſonet. *Mo* namque, ſive *Moy* Ægyptiis aquam, *yſes* vero ſervatum ſive aductum ſignificare, Joſepho narrante, docemur (*a*). Muſarum nomen ex eadem radice ducitur, ac Moyſes, Muſaſque ortas in ſua regione tenent Ægyptii. Clemens Alexandrinus tradit, puerum

A 3 il-

(*a*) Joſeph contra Appion. l. 1.

illum, cum a patre initiaretur circumciſione, *Joachim* appellatum fuiſſe. (*a*) Si Philoni fides, femina illa Princeps deceperat Pharaonem, quaſi ventrem geſſiſſet, ut ſcilicet Moyſem pro filio ſuo obtruderet. (*b*) Certum eſt, illam puerum omnibus Ægyptiorum ſcientiis imbuendum curaſſe. (*c*) Quid autem tunc ferret Ægyptiorum Litteratura, ignoramus. Vulgo creditum eſt, delectatos illos potiſſimum Aſtronomia, & Aſtrologia, quam vocant Judiciariam, nec non Hieroglyphicorum, rerumque myſticarum ſcientia. Addunt quidam Geometriam, Arithmeticam, Muſicam, Medicinam, Philoſophiam; verum hæ ſcientiæ multo prioribus concedebant, minoriſque habebantur apud Ægyptios. Moyſem hæc omnia una cum Ægyptiorum Religione didiciſſe, vero propius eſt; non quidem, ut ſe ad illas omnes ſequendas compararet, ſed ut adverſus Ægyptios arma ex illis ſumpta converteret, & contra eorum ſuperſtitionem, & fucatam ſapientiam præmuniret Iſraelitas, apud quos eruditus fuerat avito ſermone, Hiſtoria, & Religione; neque enim niſi adultus redditus eſt filiæ Pharaonis.

Expeditio Moyſis in Ætiopes.

V. Joſephus quædam de Moyſe narrat, mira prorſus, & digna, quæ referantur. (*d*) Thermutis, ſcribit, Moyſem triennali ætate grandiuſculum Regi obtulit, addens, ſe puerum illum optimæ ſpei in filium adoptaſſe, ipſi-

(*a*) Clemens Alex. Moyſis l. 1. Strom. l. 1.

(*b*) Philo de vita Moyſis l. 1.

(*c*) Act. VII. 22.

(*d*) Antiq. l. 2. c. 3.

ipſique ſucceſſorem in Regno Ægypti votis omnibus optare. Rex detractum capiti ſuo diadema, puero per luſum impoſuit. Verum ille ſtatim regium ornamentum in terram projiciens, pedibus proculcavit. Ea res adeo mali hominis viſa eſt, ut quidam Sacerdos, qui olim hujus pueri ortum fatalem Ægypto futurum prædixerat, tunc quoque exclamaret, oportere, pueri nece Ægyptiorum ſecuritati conſulere. Thermutis his auditis, continuo puerum ſubduxit, Rege nequaquam prohibente, atque inde, oraculis Sacerdotis minime territa, veluti ad ingentia deſtinatum, liberaliter educavit. Cum adoleviſſet, Thermutim Rex rogavit, ut ipſum in Ducem copiarum contra Æthiopes concederet, jurejurando, illa exigente, pollicitus, nihil in Moyſem ſe gravius tentaturum. In ea vero expeditione cœpit urbem Sabam, quam poſtea Meroem dixere, arte Tharbi, filiæ Regis Æthiopiæ, quæ illius virtute, & dexteritate illecta, in ejus manus urbem tradidit, pacta cum eo nuptias. Stetit Moyſes conditionibus, atque ita Æthiopicum bellum abſolutum eſt. Ut in Ægyptum regreſſus eſt, pro eo quod meritas gratiarum actiones pro rebus egregie geſtis referret, adverſariorum livore de homicidio apud Regem ſe delatum ſenſit. Pharao etiam, apud quem viri fama invidiam creaverat, ejus necem ſtatuerat. Sed Moyſes rem ſubodoratus, clam ab aula ſe ſubducens, in Madianitidem per cæcas, occultaſque vias, ut diſpoſitos ad ſe capiendum in conſuetis viis milites falleret,

ſeceſſit. Unde hæc acceperit auctor, neſcimus: quare ea tantum referemus, quæ de illo, narrante Scriptura, certo tenemus.

ANNUS MUNDI 2473. ante Chriſtum 1527.

Moyſes Aulam deſerit, poſt patratum homicidium.

VI. Reſtitutus Moyſes Thermuti, apud illam manſit ad uſque quadraginta annorum ætatem; quo tempore animatus divino Spiritu, gloriæ filii adoptivi tantæ feminæ renuncians, deſerta aula contulit ſe ad Iſraelitas, ſatius habens, affligi cum illis, quam peccandi periculis expoſitum manere. (*a*) Ea occaſione nactus eſt quemdam Ægyptium, qui inclementer habebat unum ex Hebræis, reique indignitate commotus, ſedulo prius, an ab aliquo obſervaretur, circumſpiciens, in Ægyptium inſiliens occidit, atque cadaver in ſabulo occuluit. Factum hoc excuſare videtur S. Stephanus, inſinuans ſingularem quemdam Spiritus ſancti inſtinctum, quo perſuadebatur, ſe ad ſervandum populum ſuum a Deo eſſe deſtinatum (*b*). Mane alterius diei duos Hebræos, mutuo jurgantes, alterum ex illis admonuit, ne fratrem percuteret. Cum reſpondiſſet ille, ſe nihil cum eo habere, objeciſſetque homicidii crimen, Moyſes, rem illam proditam eſſe intelligens, plurimum ſibi metuit: nec immerito, nam Pharao ea cæde intellecta, Moyſem ad ſupplicium quærebat. Seceſſit ergo vir in Madianitidem, regionem trans mare rubrum, in Arabia Petrea, ad montem Sinai.

Moyſes in Madiani-

VII. Cum eo perveniſſet, accidit, ut ſeptem

(*a*) Exod. II. II. (*b*) Act. VII. 25. Hebr. XI. 24.

ptem filiæ Jethronis Sacerdotis Madian, adaquandis gregibus venirent. Impletis jam ab illis aqua canalibus in pecoris uſum, paſtores quidam ſupervenerunt, ut mulieres abigerent. Verum Moyſes, illarum patrocinio ſuſcepto, injuriam propulſavit, ſimulque gregibus adaquandis operam ſuam contulit. Acceptum ab extraneo viro beneficium, puellæ domum reduces patri renunciarunt; a quo ſtatim Moyſes accitus, eo contubernio gratuito aliquandiu uſus eſt. Deinde firmam ſtabilemque moram pollicitus, Sephoram unam ex Jethronis filiabus conjugem duxit, ex qua geminos filios Gerſam, & Eliezer ſuſcepit. Vulgo creditur, nedum principatum loci, ſed & Sacerdotium veri Dei geſſiſſe Jethro, non ſecus ac Melchiſedech in Salem, & Job in Denaba. Profecto cum ſucceſſu temporis veniſſet in caſtra Iſraelitarum, Deo ſacrificia obtulit. (*a*) Si ſtirpis ſuæ auctorem Madian, filium Abrahami ex Cethura (*b*) agnoſcebat, ut nonnullis videtur, veram Religionem facile profitebatur. Ut verum tamen fatear, hæc ratio mihi non probatur: ſi enim Jethro genus ſuum ex Abrahamo retuliſſet, non erat cur originis vitium exprobrarent Sephoræ, filiæ Jethronis, Maria, & Aaron, Chuſitidem appellantes. (*c*) Habebat igitur auctorem Madian, unum ex filiis Chus, a genere Abrahami alienum. (*d*) Porro collatis pluribus Scripturæ locis Sacerdos ille plura nomina ſortitus videtur, *Jethro*, *Ra-*

tidem profectus Sephoram ducit uxorem.

(*a*) Exod. XVII. II.
(*b*) Gen. XXV. 2.
(*c*) Num. XII. I.
(*d*) Calmet v. *Madian.*

Raguel, *Hobab*, *&* *Ceni*. (*a*) Sunt tamen qui dicunt, Jethronem fuiſſe Sephoræ patrem, Raguel avum, Hobab fratrem, Ceni autem eſſe nomen commune omnibus, regionem Cinæorum ad meridiem terræ promiſſæ occupantibus. Manſit autem Moyſes apud Jethronem quadraginta annis, paſcendis illius gregibus occupatus. Interea mortuus eſt Rex Ægypti, qui Uſſerio eſt Rameſſes-Miamus, cujus obitum ille conſignat ad annum 2494. ſucceſſorem habuit Amenophim, aquis maris rubri 19. ab hinc annis demerſum. Iſraelitæ autem immenſo malorum pondere preſſi, ad cælum inclamantes, pronas Dei aures nacti ſunt.

Annus Mundi 2513. ante Chriſtum 1428.

Deus Moyſis in rubo apparet.

VII. Cum igitur Moyſes paſcendis ovibus Jethronis occuparetur, accidit ut in deſerti interiora penetrans, uſque ad montem Horeb perveniret. (*b*) Ibi rubum ardentem, intactis tamen vepribus, conſpicatus, primo rei granditate obſtupeſcens hæſit, deinde cauſam prodigii exploraturus, propius acceſſit. Sed continuo de medio rubi audita eſt vox Dei, vel potius Angeli, Dei majeſtatem, auctoritatemque referentis, qua ne accederet, quin & denudatis pedibus locum ſanctum majori reverentia contigeret, jubebatur. Hinc nudipedium a Sacerdotibus, & reliquis Iſraelitis in Templo ſervatum ortum creditur. (*c*) Adjecit autem ille, ſe eſſe Deum patris ipſius Moyſis, ac Deum Abrahami, Iſaaci, & Jacobi,

(*a*) Exod. II. 18. XVIII. I. Numer. X. 2. Judic. I. 16.

(*b*) Exod. III.

(*c*) Calmet v. *Nudipedium*.

cobi, qui auditis Hebræorum ſub Ægyptiis fatiſcentium clamoribus, illis relevandis, atque in libertatem aſſerendis, transferendiſque in terram lacte, & melle manantem, præſto erat: totum autem opus educendi populi, idque a Pharaone obtinendi, ipſi Moyſi ſe committere. Dum hæc Deus præciperet, nedum nudatis pedibus, ſed & aperto capite Moyſes audiebat. Ut autem ſibi cum Pharaone de Hebræorum libertate agendum intellexit, tanto muneri imparem ſe ſe profeſſus eſt: Sed Dominus opem illi ſuam pollicitus, virum confirmavit. Ne vero ſe deceptum in ea viſione putaret, futurum prædixit, ut poſt eductum populum eodem in monte Domino ſacrificium ipſe offerret.

Nomen Dei Jehovah *Moyſi manifeſtatur.*

IX. Tunc Moyſes a Domino quæſivit, quid ſibi reſpondendum eſſet, ſi mandata ipſius ad Iſraelitas referens, requireretur ab illis, quodnam eſſet Domini nomen? Cui Dominus: *Ego ſum qui ſum;* dices autem nomen rogantibus: *Qui eſt*, vulgo appellatus *Dominus Deus patrum veſtrorum*, *Deus Abraham*, *Deus Iſaac*, *Deus Jacob*, miſit me ad vos, ut ex ſervitute Ægyptiaca educti, promiſſæ patribus veſtris regionis poſſeſſionem aſſequamini. Dicenti autem, adjecit, fidem præſtabunt. Hebræi hactenus verum Deum norant nomine Dei Omnipotentis, Dei Creatoris, Dei Abrahami; ſed peculiari ipſius nomine illum minime adhuc appellarunt, cum illud nondum Patriarchis revelaſſet. (*a*) Ubi vulgata habet, *Sum*,

(*a*) Exod. VI. 3.

Sum, qui ſum; Hebræus legit, *Ero qui ero*. Deinceps autem Deus ſolet ſe nomine *Jehovah* deſignare. Eſt autem, uti nonnullis videtur, tertia perſona futuri ex verbo *Havah*, exiſto. Porro in nominibus propriis ſæpe futurum loco præſentis ponitur. Ita dicitur *Iſaac*, *Viſus*; *Jacob*, *Supplantator*, quæ ad litteram ſignificant, *Ridebit*, *Supplantabit*. Jehovah igitur recte verteretur: *Qui a ſe ipſo ſubſiſtit, ceteriſque, ut ſint, largitur*. Ceterum, cum dicitur Jehovah, conſuetudinem receptam ſequimur; neque enim ſatis conſtat, qua ratione nomen Tetragrammaton יהוה exprimendum ſit. Commode enim redderetur *Javo*, *Jaho*, *Jevo*, *Jave*, *Jehvah*, *Jahoh*, *Jaod*, *Jehva*, retentis ubique conſonis *Jod*, *He*, *Vau*, *He*; mutatis vero, prout cuilibet videbitur, vocalibus, ut norunt, qui Hebraicis litteris initiati ſunt. *Jovis-piter*, ſive *Jovis-pater*, ex quo compendii gratia factum eſt *Jupiter*, ex Jehovah fortaſſe originem ducit, ut ſit *Jovis* pro *Jova*, aut *Jehovah*. Veteres Hebræos rectam hujus nominis pronunciationem nec ignoraſſe, nec omiſiſſe certum tenemus. Poſt captivitatem vero Babylonicam intempeſtiva religione ab eo abſtinuere; ex quo recta illius pronunciatio ex hominum memoria obliterata eſt. Poſt captivitatem tamen ſemel adhuc ſingulis annis, die ſcilicet ſolemni Expiationis, nomen illud pronunciatum a ſummo Sacerdote coram ſelectis diſcipulis, ſtrepitumque tunc excitari conſueviſſe, ne a ceteris exaudiretur, tradunt Rabbini. Everſo Templo, ſiluit tandem omnino

no ſanctiſſimi Nominis prolatio. Ubicunque nomen illud recurrit, dicunt *Adonai*, ſive *Elohim*. Recentiores Judæi docent, nomen Jehovah in Moyſis virga inſcriptum, vim patrandi prodigia illi indidiſſe. Quin Jeſum Chriſtum ex eo virtutem miraculorum hauſiſſe, affirmant, fabulantes, nomen illud ineffabile e Templo clam ſurripuiſſe, & inter carnem, & cutem in femore celaviſſe. Addunt, qui hujus nominis genuinam pronunciationem noſſet, impetraturum omnia a Deo; ſe vero ideo fruſtra obtundere Deum precibus, quod illud recte pronunciare ignorent. Sua quædam erant deorum nomina apud Paganos, quæ pronunciare nemo auderet. Inductum autem id obſequio minus, quam timore, ne dii ſcilicet urbium tutelares, in ipſarum perniciem, ab hoſtibus evocarentur. (*a*) Porro decem Dei nomina exhibet Scriptura. I. *Jehova*, de quo hactenus. II. *Ehie*, Qui ſum. III. *Jah*, idem nomen eſt, ſed decurtatum. IV. *El*, Fortis. V. *Adonai*, Dominus. VI. *Eloha*, Deus, Judex, Princeps. VII. *Elohim*, idem prorſus ſignificat. Quamvis autem plurali ſit forma, verbo tamen ut pronomini ſingularis numeri adjungitur. VIII. *Saddai*, Omnipotens, vaſtator, ſibi ſufficiens, nullius indigens. IX. Dominus Deus *Sabaoth*, id eſt exercituum. X. *Elion*, Excelſus, ſupremus. Tandem obſervare poteris, nomen Dei etiamnum Tetragrammaton eſſe apud pleraſque nationes, cum quatuor

(*a*) Plin. l. 28. c. 2. Calmet v. *Jehovah*. & in Cicer. de nat. Deor. l. 3. Levit. xxiv. 11.

tuor literis illud efferre ſoleant, Græci *Teos*, Latini *Deus*, Hiſpani *Dios*, Galli *Dieu*, Germani *Gott*, Turcæ *Alla*, Itali *Idio*.

Moyſes ad Pharaonem legatur, ſimulque bona Ægyptiorum Hebræis permittuntur.

X. Poſt indicatum Moyſi nomen ſuum, præcepit illi Deus ut in Ægyptum reverteretur, aſſumptiſque populi ſenioribus, iret ad Pharaonem, eique denunciaret, Hebræis itinere trium dierum per deſertum procedendum eſſe, ibique juſſum a Deo ſacrificium offerendum. Nunquam, adjecit, Pharao hæc vobis læto animo concedet; ſed, eo licet invito, ego vos educam, ſæviſque adeo plagis Ægyptum percutiam, ut ſaltem coactus vos dimittat. Quin etiam in vos Ægyptiorum cor emolliar: quare moneo, ut cum egrediendi ab ea regione tempus advenerit, commodati loco ab Ægyptiis vaſa aurea, & argentea, veſteſque petatis, quin de reſtitutione quidquam cogitetis. Oſtendit hic Deus diſpoticum dominium, quod in rebus omnibus habet, dum transfert in Hebræos jus bonorum quæ ad Ægyptios pertinent. Niſi mavis dicere, Deum præ oculis habuiſſe oppreſſionem, & labores, quibus in Ægyptiorum commodum ſubjecti fuerant Hebræi; eaque de cauſa voluiſſe ut ſibi ipſis de mercede compenſarent, cum maxime juris ſui proſequendi nulla alia ſupereſſet via. Sunt qui bona illa reputent tanquam captas ex hoſtibus juſto bello manubias. Tandem quidam ſtatuunt, Deum nihil juſſiſſe Iſraelitis, ſed permiſiſſe tantum ut ſua ipſorum ignorantia & ſimplicitate in proprium commodum, & in Ægyptiorum pœnam uterentur.

XI.

XI. Moyſes magis ac magis legationis pondus, quod illi imponebatur, ſentiens, excuſationem ſuam proſecutus eſt; aſſeverans, ſcire ſe futurum, ut Iſraelitæ ſolo verbo affirmanti, Dominum ſibi apparuiſſe, non credant. (*a*) Tunc Deus virgam, quam in manu ipſe tenebat, in terram projiceret imperavit; eamque ſtatim in anguem converſam, iterum manu relevare præcepit. Paruit ille, atque in priſtinam virgæ formam reducta eſt. Juſſit deinde manum in ſinum reponeret, quæ inde reducta, leproſa apparuit. Iterum vero in ſinum Dei juſſu poſita, extractaque, convaluiſſe viſa eſt. Duo hæc prodigia coram populo fieri Deus mandavit, monens inſuper, ut ſi populum adhuc diffidentem videret, aquas e Nilo hauſtas ſpargeret, quæ ſtatim in ſanguinem converterentur. Moyſes his minime acquieſcens, difficultatem loquelæ, qua laborabat, cauſatus eſt, quam poſt facta cum Deo verba majorem ſe experire profitebatur. Credunt nonnulli Moyſem tardiloquio reapſe laboraſſe, illudque, dum loqueretur cum Deo, novo quodam pondere preſſa lingua, auctum fuiſſe. Alii reputant, Moyſi totam eloquentiam, qua pollebat maxime, perinde ac battalogiam viſam fuiſſe, ex quo cum immenſa Dei ſapientia, ac granditate illius muneris, cui deſtinabatur, illam conferebat. Verum ſi hæc ſibi conſtarent, nunquam Moyſi Aaronem loco interpretis Deus poſtea dediſſet. Tertia ſententia fert, Moyſem ex ducta in Madianitide

Moyſes ne mittatur in Ægyptum ſe excuſans, miraculorum poteſtate munitur.

(*a*) Exod. IV.

tide mora, ab Ægyptiaco, & Hebraico deſuevisse; quam loquendi difficultatem Deus verba cum illo faciens minime abſtulerit. Utcunque res habuerit ſe ſe, Deus quidem promiſit ſe in illius ore futurum, ac docturum verba quæ loqueretur; ſed Moyſes etiam atque etiam detrectans: *Domine*, inquit, *mitte, quem miſſurus es*. (*a*) Poſtulari hic Meſſiam nomine *Miſſi*, ſæpius in Scriptura deſignatum, cenſuerunt veteres Patres. Adjutorem ſibi aliquem a Moyſe quæri credunt Rabbini. Deſignari Aaronem fratrem ſuum, cenſet cum Lirano Toſtatus. Textus ita etiam redderetur: Mitte virum, quem tanto muneri parem effeceris. Cui Dominus non ſine ira reſpondit: Aaron frater tuus eloquentia, ut ſcis, plurimum valens, brevi tibi occurret. Hunc jubeo, tibi interpretem adhibeas. Utriſque autem voluntates meas, & conſilia exponentibus, me non defuturum promitto. Volo præterea ut virgam tuam tecum deferas, ingentium prodigiorum inſtrumentum futuram. Hac virga dirigendo gregi utebatur Moyſe, de cujus origine hæc plenis buccis prædicant Rabbini. Illam Deus primo in uſum Adami creavit; tum hereditate tranſmiſſa eſt ad Abrahamum, ex quo ad Patriarcham Joſephum; ab illo vero loco muneris habuerunt Ægypti Reges; ſed his furto ablatam, in horto ſuo plantavit Jethro; quæ alte adeo radices egit, ut nullo conatu avelli poſſet. Jethro Sephoræ filiæ ſuæ nuptias illi promiſit, qui tanto robore valeret,

ut

(*a*) Exod. IV. 13.

ut illam explantaret. Tentarunt id plures, ſed fruſtra omnes, præter unum Moyſem.

Moyſes in Ægyptum redux. Pharao Dei juſſionibus obedire detrectat. Ægyptiorum plagæ. Paſcha inſtituitur.

CAP. II.

I. POſt habitum cum Domino ſermonem, Moyſes domum rediit, bonaque venia ab Jethrone impetrata, in Ægyptum iter cum uxore, & filiis ſuſcepit, nullam eundi cauſam obtendens, niſi ut fratres ſuos inviſeret. (*a*) Pergenti autem Deus præcepit, ut coram novo Rege miracula patraret, ſimulque denuntiaret illi futurum ut filius ipſius primogenitus interiret, ni Iſraelem, inter caros ſibi filios cariſſimum, ac primogeniti loco habitum, dimitteret. Cum ad publicum diverſorium Moyſes declinaſſet, Angelus obviam factus, necem ei inferre viſus eſt. Reputans autem Sephora, Angelum id tentare, quod Moyſes nimium Eliezeri filii ſui circumciſionem diſtuliſſet, ſtatim accurrens acuta petra illum circumcidit. Sunt qui credant, mortem non Moyſi, ſed ipſi Eliezero intentatam fuiſſe: Scriptura ſane hic implexa eſt. Initiato ea cæremonia Eliezero, Sephora pedibus Moyſis provoluta: *Sponſus*, ait, *ſanguinum tu mihi es*. (*b*) Quæ verba ita interpretarentur: ægre ſponſum ſequor, cujus religio natorum

ANNUS MUNDI 2513. ante Chriſtum 1487.

Moyſes in Ægyptum revertitur, & Sephora Eliezerum circumcidit.

(*a*) Exod. IV. 18. (*b*) Exod. IV. 26.

ſanguinem exigit. Aliter: nunquam excidet e memoria, conciliatum inter nos fœdus, quod ſanguine filii mei obſignatum eſt. Poſt ea verba Angelus evanuit; Sephora vero, metu ne quid novi diſcriminis in itinere incideret, ambos filios ſuos in domum patris ſui ſecum reduxit.

Moyſes Dei mandata exponit Iſraelitis.

II. Inter hæc, Aaronem Dominus excitavit, ut Moyſi fratri ſuo, ex Madianitide in Ægyptum revertenti, obviam iret. Aaroni igitur uſque ad montem Horebi progreſſo Moyſes occurrit, ac poſt mutuas ſalutationes, & oſcula, quæ a Domino audierat, aperuit. Cum in Ægyptum ambo perveniſſent, convocatis Hebræorum optimatibus, legationem ſuam Moyſes Aaronis voce expoſuit, ejuſque veritatem mutata in anguem virga, infecta lepra manu, verſiſque in ſanguinem Nili aquis, confirmavit. Credidit populus, & in Dei laudes ora reſolvit.

Pharao Dei juſſionibus reluctat.

III. Secundum hæc, Moyſes, & Aaron ſimul ad Pharaonem ingreſſi, petierunt, ut bona ipſius venia liceret Hebræis via tridui in Arabiæ deſertum procedere, ibique juſſum a Deo ſacrificium offerre. (*a*) Pharao nihil ſe cum Hebræorum Deo habere jactans, nunquam ſe populum dimiſſurum profeſſus eſt; ſimulque ratus, ſat otii populum habere, ut de novandis rebus cogitaret, juſſit nullæ deinceps paleæ, continendis, quos fabricabant lateribus, ſuppeditarentur, ſed illas ſibi per agros quærerent; & nihilominus idem laterum nu-

(*a*) Exod. v.

numerus, dietim præſcriptus, exigeretur. Regii miniſtri præfectos ex Hebræis, qui certum exigebant laterum penſum, priori numero non reſpondentes, fuſtigationi ſubjiciebant. Quare illi contra Moyſem, & Aaron, Moyſes autem cum Domino conqueri. Cui Dominus, excuſſurum ſe in Pharaonem flagellum, reſpondit, ac tot tantiſque plagis eum percuſſurum, ut malorum terrore coactus, populum tandem dimittat. (*a*) Iterum tamen adiret una cum Aarone Regem; & ſi quidem ille ſigna quæreret, Aaron virgam in terram projiceret. Adeuntes ergo fratres Pharaonem, legationem ſuam expoſuerunt, ſimulque ab Aarone projecta in terram virga ſtatim in colubrum verſa eſt. Acciti continuo a Pharaone Magi, quorum principes Jannes, & Mambres, (*b*) virgas & ipſi ſuas in angues tranſmutarunt; ſed illud accidit, ut coluber Moyſis ſtatim magorum ſerpentes voraret.

Variæ de Magorum præſtigiis ſententiæ.

IV. Committuntur hic Interpretes inter ſe ſe. Tertullianus, Juſtinus, Hieronymus, aliique defendunt, hanc virgarum tranſmutationem nonniſi præſtigio inductam a Magis, intuentium oculos dæmonis arte faſcinantibus. Origenes, Auguſtinus, Thomas, quos multi ſequuntur, nihil hic interceſſiſſe fucatum, putant. Et quidem rem ita Moyſes narrat, ut nunquam non ſubjiciat ideam rei ſolidæ; quaſi idem arte ſua Magi præſtiterint, ac Moyſes prodigio. Nullum tamen in Magis admittunt miraculum, inſolitam illam, & ſingula-

(*a*) Exod. VI. & VII. (*b*) 2. Timoth. III. 8.

rem metamorphoſim, legibus naturæ non imparem, reputantes: potuit enim, ajunt, dicto citius dæmon ſolutæ virgarum materiæ aptas cauſas procreandis anguibus applicare. Simile quid videmus, cum certis anni temporibus terra, vix pluvia madefacta, ranas producit. Toſtatus, cui mox allata ſententia non probatur, docet, dæmonem pro ea, qua plurimum valet, agendi dexteritate, ſubductis clam virgis, veros angues ſubſtituiſſe. Cajetanus denique, Barradius, & Janſenius malunt, dæmonem, cui Moyſis conſilium jam antea innotuerat, virgas paulatim præparaſſe, ut opportuno tempore in ſerpentes tranſmutarentur.

Prima plagâ, aquæ in ſanguinem converſæ.

V. Variis deinde plagis intra menſem, ut quidam volunt, vel intra annum, ut alii malunt, (*a*) Ægyptus percuſſa eſt. Primo enim Aaron Moyſis juſſu Nilum virga percuſſit; ſtatimque non fluminis tantum, ſed & puteorum, canalium, lacuum, quin & contentæ in vaſis, omnes denique aquæ per totam late Ægyptum in ſanguinem tranſmutatæ ſunt. Factum inde, ut interirent piſces, & nihil aquæ ſuppeteret extinguendæ hominum, brutorumque ſiti. Quare potabiles aquas ſibi quæſierunt Ægyptii in locis circa Nilum excavatis; nec fruſtra, quantum credimus (*b*). His tamen nihil commotus eſt Pharao, cui Magi paria videnda exhibuere; aquas enim, quas ſibi quæſierunt, ſive e mari, ſive e regione Geſ-

(*a*) Genebrard. in Pſal. lect. 7. in Lib. Regum. 104. 36. Calin. tom. 6. (*b*) Exod. VII. 24.

Geſſen, cujus aquæ naturam priſtinam non mutarunt; (*a*) ſive tandem ex puteis recenter effoſſis, in ſanguinem & ipſi verterunt.

Secunda plaga, ranæ.

VI. Ranarum plaga priori ſucceſſit; perſeverante enim in ſua pervicacia Pharaone, Aaron virgam ſuper aquas, & paludes Ægypti extendens, tantam eorum animalium copiam induxit, ut tota late terra ebullierit. Quamvis autem Magi idem præſtitiſſent, Pharao tamen Moyſem, & Aaronem accivit, rogavitque ut fuſis ad Deum precibus, peſtem illam a Regno depellerent; idemque promiſit, ſe abeundi facultatem Hebræis conceſſurum. Moyſes perſuaſurus Pharaoni, nullis ſe uti ſive magiæ ſuperſtitionibus, ſive Aſtronomiæ regulis, quæ ſane tempora obſervant, indixit illi, ut tempus ad ranas exterminandas per ſe ipſum deſtinaret. Rex craſtinam diem aſſignavit. Omnia ad votum; mortuarum vero ſtrues ingentes adeo fuerunt, ut putreſcentes, totam Ægyptum intolerabili odore inficerent.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Tertia plaga, ſciniphes.

VII. Pharao huic plagæ ſubductus, promiſſis defuit; quare illam tertia excepit, pulicum ſcilicet, ſive ſciniphum, qui Brocardo aliiſque pluribus vermes ſunt, aut pediculi. Magi qui hucuſque Dei potentiam utcunque imitati fuerant, pulverem, non ſecus ac Aaron, virga percuſſerunt, magicas excantationes, & dæmonum invocationes ingeminarunt; at inani conatu. Quare etſi eo uſque forte ſibi perſuaſerant, Moyſem, & Aaronem præ ſe excantandi arte valuiſſe, tunc tandem faſſi

 ſunt,

(*a*) Sap. XI. 5.

ſunt, plus aliquid viris ineſſe, quam magices ſcientiam, Deique virtute illos pollere, ultro Pharaoni ſignificarunt illis verbis: *Digitus Dei eſt hic*. (*a*) Animadvertere licet, mendacium, errorem, impietatem, cui dæmon auctoritatem conciliare nititur, ſero tandem vel cito in apertum produci; ut pro Dei arbitrio virtutem ſuam exeri, & in ordine contineri verſutia hominum, dæmonumque fallacia & vis fateri cogatur, errandique occaſiones ſubducantur.

Quarta plaga, muſcæ.

VIII. Mane alterius diei, dum Pharao ad Nilum iret, Moyſes illi denunciavit, ni populum dimitteret, ſequenti die Ægyptum omni muſcarum genere dire vexandam; terra interim Geſſen, ubi habitabant Hebræi, nullum incommodum ſuſtinente. Sæviente quarta hac muſcarum plaga, moleſtiamque graviſſimam tum hominibus, tum brutis patientibus, Moyſi & Aaroni indulſit Rex, ut ſacrificarent Deo Hebræorum in terra tamen Ægypti; ſed hanc conditionem recuſavit Moyſes, quod Ægyptiorum furori exponere nollet Hebræos, coram illis ſacrificia operantes, quæ ipſi abominationi haberent & horrori. Nil certe magis execrabantur Ægyptii, quam ſacrificia animalium, (*b*) quibus divinitatem ineſſe credebant. Sed quid in cauſa fuit, ut animalia colerentur? An quod animalia hominibus ſint utilia (*c*)? An quod in illato a mortalibus adverſus deos bello, ut ab hominum furore ſe

ſe

(*a*) Exod. VIII. 19.
(*b*) Macrob. Saturn. l. 1. c. 7
(*c*) Cicer. l. 1. de Nat. deor. Euſeb. de Præpar. l. 2. c. 1.

ſe dii ſubducerent, coacti ſunt latebras quærere in animalium corporibus, ut fabulantur Poetæ (*a*)? An potius dogmate Metempſychoſeos imbuti abſtinuerint ab animalibus, ne forte impias, imprudenteſque manus in neceſſarios ſuos, & propinquos inferrent, cum brutum interimerent? Pharao auditis his, quæ a Moyſe oppoſita fuerant, permiſit ut populum trium dierum itinere per deſertum deduceret, ſerio tamen præcipiens, ne longius recederent. Verum orante Dominum Moyſe, & muſcarum flagello ceſſante Rex ad ingenium rediit, datamque veniam revocavit. Quare ad alias plagas ventum eſt.

IX. Quinta plaga peſtem animalium complectitur (*b*). Mortuis autem Ægyptiorum brutis, miſit Pharao in Geſſen qui viderent, referrentque, an ibi pariter animalium lues graſſata fuiſſet; & quamvis intellexerit, Hebræos nihil amiſiſſe, nihiloſecius reſiſtit ille adhuc pervicacius, noluitque populum dimittere. *Quinta plaga, animalium lues.*

X. Juſſit itaque Deus, ut ſumptum e clibano cinerem Moyſes ſpargeret in cælum coram Pharaone, quo ſexta plaga inducta eſt, ulcera ſcilicet, & puſtulæ, quibus in hominum, & animalium, quæ præcedenti plagæ ſupererant, corporibus diſſeminatis, illa mire diſcruciabantur. (*c*) Magi autem hac plaga, non ſecus ac ceteri vexati, ab adeundo Pharaone, atque eludendis ſuis præſtigiis veris Moyſis miraculis prohibiti ſunt. *Sexta plaga, puſtulæ.*

(*a*) Ovid. Metam. l. 5. fab. 5.

(*b*) Exod. IX.

(*c*) Exod. IX. 8.

Septima plaga, procellæ. XI. Septima plaga tonitruum, grandinis, imbris, & fulgurum. (*a*) Hanc cum Moyſes Pharaoni denunciaret, monuit Regem, ejuſque ſervos, ut quidquid ſive hominum, ſive brutorum in agris haberent, domum reducerent, ſi quidem illa ſalva eſſe vellent; quod a nonnullis executioni mandatum eſt, a ceteris vero omiſſum. Elevante autem Moyſe virgam in cælum, inde ruit procella, cui ex quo Ægyptus fuit, nunquam ſimilis viſa eſt; eaque nedum arva vaſtavit, ſed & mortales omnes una cum animantibus, quæ ſub dio erant, abſumpſit. Aſſerit Philo, ſub Moyſe in univerſa Ægypto videri contigiſſe quod nunquam alias, imbrem ſcilicet, & grandinem, audirique tonitrua; quod tamen non omnibus probaretur. (*b*) Scelus ſuum fatente Pharaone, ac eadem, quæ ſæpius promittente, fuſiſque per Moyſem ad Deum precibus, plaga hæc ceſſávit; nequicquam tamen, nam Pharao promiſſis non ſtetit.

Octava plaga, locuſtæ. XII. Octavam proinde locuſtarum plagam Moyſes, & Aaron illi intimarunt. (*c*) Quod cum Ægyptii audiſſent, pluribus apud Regem inſtiterunt, ut Hebræorum votis faceret ſatis. Accitos itaque Moyſem, & Aaronem interrogavit Pharao, quinam ad ſacrificium in deſerto celebrandum proficiſci deberent? Reſpondit Moyſes, oportere ut ſimul omnes, ne brutis quidem exceptis, irent: *Eſt enim* adjecit, *ſolemnitas Domini*; quaſi diceret: Homines eo procedere debent ut feſtum celebrent, bruta vero,

(*a*) Exod. IX. 22. l. 1. Calmet in Exod. IX. 29.
(*b*) Philo de vita Moyſ. (*c*) Exod. X. 4.

vero, ut quaſcumque elegerit Deus, victimas ſufficiant. Cui Rex: Ita Dominus ſit vobiſcum, quemadmodum propoſitum eſt mihi dimittendi vos una cum filiis veſtris. Satis conſtat prava vos agitare conſilia. Eant tantum viri juxta ac vos ipſi poſtulaſtis. Quibus prolatis, ambo fratres e Pharaonis conſpectu expulſi ſunt. Extendente autem Moyſe virgam ſuam ſuper terram, excitatus eſt quidam ventus urens maxime, & exſiccans; quo ex oriente, vel ut alii malunt ex meridie, flante, tam ingenti multitudine delatæ ſunt locuſtæ, ut totam operuerint Ægyptum, exterminarintque quidquid in arboribus herbiſque intactum a grandine relictum fuerat. Pharao tunc pœnitere ſe profeſſus eſt; quare ad Moyſis preces, contrario flante vento, locuſtæ omnes in mare rubrum depulſæ ſunt.

Nona plaga, tenebræ.

XIII. Cum vero Rex nec tunc quidem populum dimitteret, protenſa in cælum a Moyſe manu, adeo craſſæ, denſæque inductæ ſunt ſuper Ægyptum tenebræ, ut *palpari* poſſent. (*a*) Ex humido, graſſiorique aere, nebulis, & vaporibus pleno nox illa facile conſtabat. Forte etiam dum tenebræ illæ regnabant, Ægyptii eo adacti ſunt, ut manibus greſſum, obſcuritatis ergo, tentarent: alter ſane alterum cernere non poterat. Porro illa nox totam Ægypti faciem triduo occupavit, cum interim terra Geſſen, a plagis ſemper immunis, diurno lumine frueretur. Perſeverabat adhuc hæc

(*a*) Exod. x. 21.

hæc tenebrarum plaga, cum Rex Moyſi, & Aaroni, ut populum ad ſacrificium deducerent, permiſit, ea tamen conditione, ut ſcilicet armenta Hebræorum in Ægypto remanerent. Detrectante autem Moyſe, eo obtentu, quod victimarum electio nonniſi in ipſo ſolemnitatis loco fieri poſſet, Pharao a ſe illum repulit, capitali pœna indicta, ſi rediiſſet injuſſus. Antequam tamen Moyſes ab eo digrederetur, unam tantum illi, totique Ægypto adhuc ſupereſſe plagam, aperuit: cædem ſcilicet omnium omnino primo natorum, tam ex hominibus, quam ex animalibus, ne excluſo quidem ipſius Regis filio. Hos omnes, inquit, per Angelum ſuum Dominus, media regnante nocte, exterminabit. (*a*) Hinc clamoribus, & ejulatibus univerſa Ægyptus inſonabit, ſumma interim, beataque tranquillitate apud Hebræos regnante. Tunc Ægyptiis non tantum permittentibus, verum & compellentibus, quo juſſi ſumus progrediemur. His dictis indignatus receſſit. At Pharao, Deo *cor illius indurante*, in ſua ſententia obfirmatus eſt.

Deus cor Pharaonis indurat.

XIV. Sed qui Deus *cor Pharaonis induravit* (*b*)? Non utique cauſando malitiam, ſed negando validiorem illam gratiam, qua ſubminiſtrata, divinis juſſionibus Pharao utique paruiſſet. Hanc obdurationem exponunt quidam, dicendo, Deum indulgentia & lenitate ſua, qua flagella a Pharaone ſubinde removebat, per-

(*a*) Exod. XI.

(*b*) Exod. XI. 10. & alibi ſæpius.

permiſiſſe, ut in malitia Regis animus confirmaretur. Ita nonnumquam ſolet herus immorigero mancipio exprobrare: Ego miſericordia, & benignitate mea ſum tuæ perverſitatis cauſa. Aliter etiam interpretaremur: obduravit Deus cor Pharaonis, quatenus firmitate, & conſtantia Moyſem ornavit, ipſum vero Regem plagis, maliſque exterioribus punivit; ex quo occaſionem ſumebat Pharaonis ſuperbia, ut magis irritaretur, augereturque pervicacia. Ut autem Deus cum Pharaone ſic ageret, in cauſa fuerant, ajunt Theologi, illius peccata; tum & ipſius Dei gloria, ut ſcilicet divinæ potentiæ, & juſtitiæ ſpecimen illuſtre exhiberetur: quod quidem colligimus ex verbis, quæ ad ipſum Pharaonem Moyſes Dei nomine habuit: *Idcirco autem poſui te, ut oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra*. (*a*)

Niſan primus anni menſis deſignatur, & Paſcha inſtituitur.

XV. Quo egreſſus ab Ægypto memoria altius Hebræorum mentibus imprimeretur, mandavit Deus, ut menſis *Abib*, *Niſan* poſtea appellatus, tum decurrens, qui noſtro Martio utcumque reſpondet, primus inter anni menſes deinceps haberetur (*b*); anni, inquam, *ſacri*, ad cujus ſcilicet normam dirigerentur ſolemnitates, Religioniſque conventus; nam *civilis* anni exordium, non ſecus ac *ſabbatici* & *Jubilæi*, menſi *Tizri*, qui cum noſtro Septembri congruit, ſemper illigatum manſit. Eodem ſpectavit Deus, dum ſolemnitatem paſchalem inſtituit ſingulis annis, eadem die qua

(*a*) Exod. IX. 19. (*b*) Exod. XII.

qua ex Ægypto Hebræi pedem retulere, celebrandam; cujus hi erant ritus, & cæremoniæ. (a) Singulæ familiæ ſingulos agnos, maſculos, anniculos, nulloque vitio infectos, die 10. Niſan eligebant, mactandos in ſacrificium Domini die 14. ad veſperam, ſive, ut habet Hebræus *inter duas veſperas*, ſcilicet inter Solis declinationem, & illius occaſum. Hebræis enim cum Sol vergit ad occaſum, prima init veſpera; cum occidit, altera. Quidam tamen cenſent inter duas veſperas eſſe tempus inter occaſum Solis, & noctis initium comprehenſum, nempe crepuſculum veſpertinum. Diſputatur etiam, an lex de parando agno die decima Niſan, primum dumtaxat reſpiceret Paſcha, an etiam illa quæ deinceps ſubſecuta ſunt. In poſterum enim nihil contra legem admittebatur, ſi quoſdam audias, modo victimam illam die decima tertia Hebræi ſeponerent. Agno ſacrificando deſtinati erant Patresfamilias, ſive primores natu; neque enim adhuc conſtituti fuerant Sacerdotes, quibus ſacrificandi munus committeretur. Porro ſi agnus minime præſto fuiſſet, hædus, vel hircus ſumebatur. Nefas erat alibi agnum immolare quam in Atrio, quando Tabernaculum, & deinde Templum erecta fuerunt. Domum ſuarum poſtes, & ſuperliminare Hebræi hyſſopo, agni immolati ſanguine tincto, aſpergebant, ut Angelus, cui exterminium primorum natu Ægyptiorum commiſſum erat, eo ſigno viſo domus illas præteriret, illæſoſque Hebræorum in-

(a) Exod. XII. 3.

infantes ſervaret. Verum hæc nonniſi ad Paſcha in Ægypto celebratum pertinebant.

XVI. Quo tempore agnus immolabatur, eodem & Paſcha inibat, ſeptem conſequentibus diebus celebrandum, inter quas prima tantum, & poſtrema, decimaquinta ſcilicet Niſan, & vigeſimaprima ſolemnes erant & feriatæ; ita tamen ut in eis ciborum præparatio, veluti Sabbati die, interdicta non eſſet. Eadem nocte, qua incipiebat Paſcha, agnus comedendus erat aſſus, cum pane azymo, & lactucis agreſtibus. Nil elixum ex eo, nil crudum comedere fas erat. Caput, pedes, exta rejicere piaculum, ſicut & oſſa frangere. Quidquid tamen ſuperfuiſſet carnis, & oſſis igne abſumendum erat, ante noctis exitum. Si familia, quæ agnum obtulerat, eidem comedendo non ſuffeciſſet, alii ex vicina domo adhibebantur. Nullum commenſalium numerum præfinit Deus, ſed conſuetudine inductum, ut nec pauciores, quam decem, nec plures, quam viginti accerſerentur. (*a*) Convivæ itinerantium formam ſervabant; cinctis enim renibus, feſtinanterque comedentes, baculum in manibus, & calceamenta in pedibus geſtabant; ſtantes etiam putamus. Hic tamen ritus, ſeu itinerantium forma, ſola egreſſus nocte ſervata creditur. Rabbini ſane docent, reliqua Paſchata a Judæis jacentibus & decumbentibus in lectulis menſalibus celebrata fuiſſe, quaſi in ſignum quietis, & dominii. (*b*)

Ritus Paſchatis primum celebrati.

To-

(*a*) Joſeph de Bello l. 7. cap. 16.

(*b*) Berti de theolog. diſcip. l. 33. c. 3.

Toto Paſchatis tempore, integra ſcilicet hebdomada, fermentati panis uſus interdictus. Verum Paſchatis etymon petitur ex Hebræo *Peſach*, tranſire, tranſilire. Angelus enim cum Ægyptiorum primogenitos interficeret, Hebræorum domus intactas præteribat. De Paſchate, & Azymorum ſolemnitate ſermo non ſemel redibit.

Cædes primorum natu Ægyptiorum. Iſraelitæ ex Ægypto pedem efferunt; quorum primogeniti Domino conſecrantur. Ignea columna viam oſtendit. Transfretatio Maris Rubri. Varia ſyſtemata tanto prodigio evertendo confutantur.

CAP. III.

Decima plaga, cædes primogenitorum Ægypti.

I. QUo ritu, & cæremoniis Paſcha celebrandum eſſet, jam ante diem decimam Niſam, Moyſes edixerat. Die autem decimaquarta convocatis populi ſenioribus mandavit, ut juſſa actutum exequerentur, paratumque agnum immolarent. Omnibus igitur rite perſolutis, linitiſque ſanguine agni Hebræorum domibus, dum intra eaſdem incluſi, juxta Moyſis præceptum, illi manerent, in ipſo ſupervenientis noctis dimidio, Angelus Domini (bonum credimus, etſi malus nonnullis videatur) ſtricto gladio per Ægyptum diſcurrens, omnes Ægyptiorum primogenitos peremit, nihil diſtinguens inter filium Regis, & filium mancipii, jumentique.

Ad-

Addit Moyſes, Deum tum *feciſſe judicium in cunctis Ægypti diis*: (*a*) quod non una ſententia explicatur. Dei nutu concuſſa tunc Templa, & ſtatuas Numinum Ægyptiorum, tradunt Hebræi. Malunt alii, his ſignificari, Deum furorem ſuum exeruiſſe in animalia, quæ Ægyptus colebat, deletis ipſorum primogenitis; aut excruciaſſe dæmones, dum in animalia, illos referentia, ſæviret. Commode etiam exponeretur de Principibus, & ampliſſimis in Ægypto viris, quos non raro Scriptura deos appellat. Deus enim in illos ultionem ſuam exeruit, exterminatis ipſorum natu majoribus. Negotium etiam facit Interpretibus Moyſes, qui loquens de eorumdem primogenitorum cæde, ait: *Non erat domus, in qua non jaceret mortuus* (*b*): quod quidem vix ad literam acciperetur de primoribus natu. Quis enim non reputaret, plures fuiſſe domos, primogenitis, eo ſenſu acceptis, carentes? Obſervant nonnulli nomen *Primogenitus*, quo utitur Moyſes, apud ſacros Scriptores interdum primum, excellentiſſimum, & maxime carum ſignificare. Hinc putant virum quemcumque inclytum in familia gladio Angeli cecidiſſe, cum in eadem familia nullum offenderit, quem perimeret, natu majorem. Alii volunt, cum ætatis ordine nemo eſſet in familia natu primus, ultionem ruiſſe in caput ejus, qui juribus, & privilegiis primoris natu ſucceſſiſſet, ſive mas fuerit, ſive femina.

II.

(*a*) Exod. XII. 12. (*b*) Exod. XII. 30.

Exitus Iſraelitarum ex Ægypto.

II. Mors primogenitorum ingentem per Ægyptum excitavit clamorem, quo perculſus Pharao, communique fato ſe obvolutum ſentiens, continuo accitis Moyſi & Aaroni egreſſum populi pro eorum voto non tantum indulſit, ſed & imperavit. Iter autem parantes, ſibique de commeatu providentes, adeo urgebant Ægyptii, nimio mortis timore correpti, ut ne dato quidem ſpatio fermentum miſcendi, ſubactam aqua farinam una cum mactra, vel ut alii volunt, puram farinam in pallis alligatam, ſecum ferre cogerentur, e qua azymos panes inter eundum confecerunt. Revocando autem in memoriam populi præcipiti huic ex Ægypto egreſſui, azymorum uſus in ſolemnitate paſchali imperatus eſt. Exierunt autem Ægyptiorum ſpoliis onuſti; de ſuo enim e regione diſceſſu a Moyſe antea inſtructi, haud egre vaſa aurea, & argentea, omnemque muliebrem mundum, & quidquid maxime ſolemnitatem, quam a ſe celebrandam vulgabant, deceret, commodati loco acceperant. (*a*) Exercitus Iſraelitarum ſexcenta fere peditum millia, præter feminas, pueros, & alienigenas cum illi exeuntes, æquabat. Hi omnes ad Rameſſem Urbem, facile agri Geſſen metropolim, veluti ad condictum locum, coivere; indeque moventes, in *Socoth* progreſſi ſunt. In Antonini Itinerario occurrit Urbs *Scenæ Veteranorum*, triginta milliaribus a Babylone Ægypti, Peluſium verſus, quatuordecim ab Eliopoli diſtans. Porro Græcum Sce-

(*a*) Exod. III. 22. XI. 2.

Scenæ perinde valet ac Hebræum *Socoth*, hoc eſt Tentoria, ſive Tabernacula.

III. Exitus Iſraelitarum conſignatur anno ab Orbe condito 2513. a vocatione vero Abrahami 430. Huc reſpicit Moyſis teſtimonium: *Habitatio autem filiorum Iſrael, qua manſerunt in Ægypto, fuit* 430. *annorum*. (*a*) Septuaginta enim ita Textum exponunt, ut aliquid addant: *Habitatio autem filiorum Iſrael, quam habitaverunt in Ægypto ipſi & patres eorum, & in terra Chanaan, anni* 430. Idem habet Samaritanorum codex. Nec abludit Paulus, cum a factis Abrahamo promiſſionibus uſque ad Legem Moyſi datam, eamdem annorum periodum ſupputet. (*b*) Minime vero audiendi ſunt, qui 430. annos a Jacobi in Ægyptum profectione deducunt, cum ipſa Moyſis genealogia repugnet. Nam Caath ſaltem anniculus fuit, quando cum Patre Levi, & avo Jacob deſcendit, in Ægyptum. Vixit autem Caath 133. annos; Amram vero filius ejus vixit 137. annos. (*c*) Moyſes tandem, Amrami filius, tempore exitus annum agebat 80. Sed hi omnes ſimul collecti ſummam 350. non ſuperant; ex qua tamen detrahendi ſunt illi, quos filii cum patribus vixerunt, qui ſane pauci eſſe non poſſunt. Cum igitur anni illi 430. dinumerandi ſint a vocatione Abrahami, qui Hebræorum primus peregrinatus eſt in Chanaanitide, primuſque in Ægyptum fame compellente deſcendit; ſic annos illos di-

Quo anno Hebræi pedem ex Ægypto retulerint.

C ſtri-

(*a*) Exod. XII. 40.
(*b*) Galat. III. 16.
(*c*) Exod. VI. 18. 20.

ſtribuimus, ut a vocatione Abrahami ad ingreſſum Jacobi in Ægyptum 215. effluxiſſe demonſtremus, ac proinde totidem annos 215. Iſraelitas in Ægypto manſiſſe. Poſterior pars ex priori ſequitur; prior vero ſic demonſtratur. Abrahamus tempore ſuæ vocationis erat 75. annorum; Iſaacum vero genuit anno ætatis 100. Ergo a vocatione ejus ad natum Iſaacum numerantur 25. anni. Iſaac vero genuit Jacobum anno ætatis 60. Jacob denique deſcendit in Ægyptum annos natus 130. (*a*) Si autem colligantur ſimul 25. 60. & 130. numerus 215. prodibit; quod erat demonſtrandum.

Primogeniti Hebræorum Deo dicati.

IV. Dum in Socoth adhuc ſubſiſterent Iſraelitæ, monuit iterum illos Moyſes de Paſchatis, Azymorumque ſolemnitate; præcipiens, ut filiis, nepotibuſque, quid ſibi vellet tantus cæremoniarum apparatus, ſingulis annis innovatus, ſciſcitantibus ſedulo exponerent, cur, quave occaſione ea omnia inſtituta fuerint; quo Dei beneficiorum memoria apud poſteros perennaretur. Volens autem, ut futuræ generationes de nece primogenitorum Ægyptiorum præſertim recordarentur, legem de primogenitis Deo offerendis eodem in loco ſancivit; quam deinde nonnullis additamentis auxit. (*b*) Omnes igitur, qui primi ex quapiam matre orirentur, non inter homines tantum, ſed & inter bruta domeſtica, Deo offerendi erant. Soli tamen mares huic præcepto ſubjicebantur. Si

(*a*) Gen. XLVII. 9.

(*b*) Exod. XIII. 2. Levit. XXVII. 6. Num. XVIII. 17. Deuter. XXIII. 18.

Si enim femina prior naſceretur, neque de illa, neque de ſuccedentibus poſt illam filiis quidquam imperabatur. Patribus primogenitos ſuos quinque ſiclorum pretio redimere integrum erat. Animal purum, uti bos, agnus, hædus, primum e matre naſcens, nullo pretio redimi poterat. Oblatum vero ſtatim mactabatur, effuſoque circa Altare ſanguine, atque adipe in ignem ejuſdem Altaris injecto, cetera Sacerdoti cedebant. Animal impurum, cujus nullus in cibo uſus eſſet, velut aſinus, vel ove, vel quinque ſiclorum pretio commutabatur; non commutatum autem, ſive non redemptum, enecabatur. Canum, & Felium primitiva juxta nonnullos occidebantur; lucrum ſane ex illis referre Sacerdoti permiſſum non erat.

Iſraelitæ iter deflectunt, quibus ignea columna viam oſtendit.

V. E ſocoth Iſraelitæ venerunt in Ethan; inde Domini juſſu regreſſi Phiahiroth verſus, locum inter mare Rubrum, & Magdalum, e regione Beelſephon ſitum tenuere. (*a*) Noluit enim Deus, ut populus breviori via e Peluſio per Aſcalonem in Chanaanitidem perrumperet, ne occurrentibus uno ſimul tempore Philiſtæis, Chananæis, & Ægyptiis, & forte etiam Idumæis, & Amalecitis, tot tantorumque hoſtium metu, Iſraelitæ in Ægyptum regreſſum meditarentur. Quare illos per deſerta arva, quæ proxime ſequuntur cultos Ægypti agros, verſus Arabiam Petræam, Idumæam, & regionem Amalecitarum, circumduxit. Geographia Ethan, Phiahiroth, Magdalum, & Beel-

(*a*) Exod. xiv.

ſephon ignoratur. Ethan tamen, quam Septuaginta Buthan appellant, Buthus Herodoti (*a*) creditur, urbs Arabiæ ad extremam maris Rubri oram. Phiahiroth, vel tantum Hiroth, uti Hieronymus, & Euſebius vocant, facile eſt Heroum urbs, quæ jacebat ubi mare Rubrum in anguſtum deſinit. (*b*) Magdalum turrim ſonat. Beelſephon prope Clyſma, ſeu Colſum erat (*c*); ubi nunc monaſterium S. Antonii viſitur, una, vel dimidia leuca infra extremam maris Rubri ſeptentrionalem oram. Ibi Hebræos transfretaſſe veteres tradidere, teſtanturque curruum, & rotarum, quibus inſtructus erat Pharaonis exercitus, veſtigia. Ferunt autem *Sephon*, vel *Zephon* Ægyptiorum Numen fuiſſe, cujus nomine urbs *Beel-ſephon* appellata. Sunt qui canis figura expreſſum credant, uti exhibetur Deus Anubis; ideo facile, ut canis iſte latratibus ſuis arceret hoſtes, moneretque defenſores, atque lateri illi maris Rubri advigilaret. Alii volunt, eo loci potiſſimum conſtitutum, ſervis ab heris fugientibus retinendis. (*d*) Egreſſos ab Ægypto Iſraelitas præcedebat Dominus, ſive Angelus, in columna nubis. Hæc eos comitata eſt vel a Rameſſe, vel a Socoth, vel ab Ethan, juxta opinionum varietatem, uſque ad vada Jordanis. Lucida erat noctu, ut tenebras fugaret, obſcura & denſa per diem, ut maximos Arabici deſerti calores averteret. Nu-

(*a*) Herodot. l. 2. c. 75.
(*b*) Strab. Plin. & alii.
(*c*) Euſebius in locis.
(*d*) Paulus Oroſius, Gregorius Turonen. Coſmas Monachus.

Nubis etiam motus Iſraelitarum dirigebat motum; quare ſiſtebant illi, cum nubes conſiſteret; illi gradiebantur, cum graderetur nubes (*a*).

VI. Exiens ex Ægypto Moyſes ſecum tulit ſacra Joſephi lypſana; de quibus Eccleſiaſticus tradit: *Poſt mortem prophetaverunt* (*b*): quod non aliter accipiendum eſt, quam de impleta fide vaticinii a Joſepho prolati, futurum ſcilicet, ut poſt mortem ſuam Deus viſitaret populum; impletiſque itidem ejus votis, quippe qui transferri oſſa ſua in Chanaanitidem optaſſet (*c*). Una cum oſſibus Joſephi translata pariter & oſſa ceterorum Jacobi filiorum creduntur. Legitur enim in Actis, oſſa Patriarcharum condita fuiſſe in Sichem (*d*): quorum translatio commodius fieri non potuit, quam in Iſraelitarum ex Ægypto egreſſu.

Oſſa Patriarcharum transferuntur.

VII. Narrat Scriptura, Hebræos *aſcendiſſe armatos* de terra Ægypti (*e*). Sed unde tanta armorum copia ſexcentis millibus militum, in regione præſertim, in qua illi veluti mancipia ſerviebant? Quidam reddunt non armatos, ſed *accinctos* ſive *inſtructos*, veluti bene diſpoſitum exercitum; alii *expeditos*, itinerantium more. Sed hæc interpretatio non multum obtinet; vox enim *Chamuſchim*, quam Vulgata reddit armatos, ſonat *Quinos*. Hinc Septuaginta verterunt, *quinta generatione*:

Quo ordine procederent Hebræi.

 quod

(*a*) Exod. XIII. 22. Num. X. 35.
(*b*) Eccleſiaſtic. XLIX. 18.
(*c*) Gen. L. 23.
(*d*) Act. VII. 16.
(*e*) Exod. XIII. 18.

quod inſinuare poteſt, Iſraelitas quinta generatione, ex quo in Ægyptum venere, inde exceſſiſſe. Ita vero generationes ſupputantur: Jacob, Levi, Caath, Amram, Moyſes. Calmetus contendit, Ægyptiorum acies in quinque ordines, vel alas, inſtructas proceſſiſſe, eoque ſpectare Scripturam, dum juxta Hebræum narrat, Iſraelitas ab Ægypto quinos aſcendiſſe.

Iſraelitæ ſicco veſtigio mare Rubrum tranſgrediuntur.

VIII. Vix Iſraelitæ in Phiahiroth pervenerant, cum Pharaonis, quem conceſſæ Hebræis libertatis pœnitebat, exercitum ſibi inſtare conſpexere. Pharaonis exercitus 600. electis curribus potiſſimum conſtabat. Copias Ægyptiorum recenſet Joſephus ad LM. equitum, vel militum e curribus pugnantium, & CCM. peditum. Ezechiel Poeta apud Euſebium, exercitum numerat decies centenum millium. Philo, Regem illum Iſraelitas inſecutum, tradit, cum robore omni equitum ſuorum, fundibulariorum, equitum jaculatorum, velitum, & 600. ſelectis curribus, quos nonnulli falcatos cenſent, ſilente Scriptura (*a*). Cur autem inſequi fugitivos decreverit Rex, in cauſa fuiſſe ditiſſima, quæ ſecum afferebant ſpolia, tradit Artapanus. Forte etiam intellexerat, ita abiiſſe populum, ut nullo redeundi conſilio teneretur. Iſraelitæ periculi magnitudine concidentes animis, contra Moyſem cœperunt obloqui, ſatius eſſe, dicentes, ſervire Ægyptiis, quam in deſerto mori. Nil tamen his ille

(*a*) Exod. xiv. 10. Joſeph Antiq. l.2.c.6. Euſeb. Præp. l. 9. c. 19. Philo l. 1. de vita Moyſ.

ille permotus, fidem ſuam obſtrinxit, futurum ut a præſentiſſimo periculo Deus prodigiis illos liberaret, deleretque tandem hoſtem, quem tantopere timebant. Verſus deinde tacito cordis affectu ad Deum, ipſius opem poſtulavit, quem ſtatim audivit jubentem, ut virgam ſuper mare, quo a fronte progredi impediebatur, extenderet, atque per medium illius alveum, aquis utrinque diviſis, populum traduceret. Eodem ſimul tempore nubes ab Angelo mota, frontem Iſraelitarum relinquens, abiit poſt ipſos, itaut Iſraelitas inter & Ægyptios media conſiſteret. Cum autem nubes illa Iſraelitas luce, Ægyptios vero tenebris perfunderet, iter ſuum Moyſes proſecutus eſt, quin toto ſupervenientis noctis tempore Pharao fugientem videre, aut inſequi potuerit. Ut littus attigit Moyſes, protenſa in mare virga, viam inter undas hinc inde recedentes aperuit. Huic viæ adhuc humenti exſiccandæ, tota nocte ventus urens opportuniſſime flavit; quare Hebræi nihil cunctati, tranſgreſſi ſunt omnes. Primus, qui maris alveum tentaret, Aminadab Princeps Juda, a Judæis laudatur. Joſephus autem hanc laudem ipſi Moyſi non invidet. In libro Sapientiæ hæc habentur. *In mari rubro via ſine impedimento, & campus germinans de profundo* (*a*). Sunt qui nullam agnoſcentes in his verbis metaphoram, ſubito germinaſſe divino prodigio in imo maris fundo herbas, defendant. Alii vero, pluribus laudatis prophanis auctoribus,

(*a*) Sap. xxix. 7.

ribus, demonſtrant; Erythræi alveum, quo maxime ad littus accedit, herbis, & juncis vireſcere; unde illi nomen ab Hebræis inditum, *Mare Suph*, hoc eſt, *Mare Juncorum*. Nomen Rubri huic pelago datum ab Eſau, vel Edom, alibi demonſtravi. (*a*) Nonnulli tamen ita appellatum volunt ex arenis rubeſcentibus, & ex corallii copia, quod in imo fovet.

Ægyptii aquis demerguntur.

IX. Ægyptii ſub auroram, nubem Iſraelitas, qui mare jam tranſierant, ſequi videntes, ſtatim fugientibus inſtare, ne animadverſo quidem periculo, cœperunt. Aliquanto proceſſerant inter medium alveum, cum ſubito terrore affecti turbare ordines, & ſeſe invicem confundere. Tunc Angelus e nube reſpiciens illorum exercitum, immiſſiſque fulminibus, Ægyptiorum currus evertit, disjecitque, turbatoſque adeo perculit, ut mutuo ſe in fugam urgentes, ingeminarent: *Fugiamus Iſraelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos*. Hujus fugæ tumultus terrorem auxit, & deſperationem, nihilque ad ultimas anguſtias redactis ſupererat, quam ut in adverſam ripam evaderent. Sed fruſtra illi; nam Moyſes ex Domini juſſu manum ſuper mare extendente, reſolutæ jam aquæ opplere primum viam, littus, quo tendebant, reſpicientem; deinde vero ſuper eorum capita recidentes, omnes ad unum oppreſſerunt. (*b*) Tradit S. Irenæus, Pharaonem,

(*a*) Vide ſupra l. 2. xv. 6. 10. 11. Pſalm. c. 9. n. 5. LXXVI. 16. Joſeph. Antiq.
(*b*) Exod. XIV. 28. & l. 2. c. 7.

nem, cum aquas ab Hebræis magicorum carminum vi alligatas, apertumque malis artibus mare cenſeret, minime veritum eſſe alveum ſubire, cum Magos ſuos idem præſtituros ſperaret. (*a*) Lorinus, aliique nonnulli, ipſum Regem evaſiſſe tenent; id quod Scripturæ contrarium videtur: *Ne unus quidem ſuperfuit.* (*b*) Ii ſolum ex Ægyptiis amicum mare experti ſunt, qui ſeſe Iſraelitis junxerant (*c*). Eo naufragio abſorpta LM. peditum affirmat Joſephus. Æſtu maris jactata corpora in littore apparuerunt, quorum armis, & ſpoliis ditati Judæi, perſuaſi tandem ſunt, nonniſi Deo auctore eductos ſe ex Ægypto, ac Moyſem Domini ſervum eſſe fidelem.

X. Tunc virorum chorus, cujus princeps erat Moyſes, panxit carmen, quod incipit: *Cantemus Domino; glorioſe enim magnificatus eſt* (*d*). Maria vero, Moyſis ſoror, ſumpto tympano, ſive ſyſtro, muſico inſtrumento apud Ægyptios notiſſimo, tripudiis hiſce præfuit, agenſque præcentricem mulieribus, ducenſque cum illis choreas, eadem, quæ Moyſes cum viris, alternatim decantabat. In eo autem cantico celebratur prodigium, quo Deus potentiam ſuam in mari Rubro oſtendit, prædiciturque, futurum ut Idumæi, Moabitæ, omneſque habitatores Chanaan fama accedentium Iſraelitarum, animis deficiant, invideantque gloriæ, & beneficiis, quibus

Hymnus pro gratiarum actione.

(*a*) Iren. l. 4. c. 48.
(*a*) Exod. XIV. 28. Pſ. CV. 12.
(*c*) Exod. XII. 38.
(*d*) Exod. XV. 1.

bus illos proſequebatur Deus. Inter poeticas orationes omnium quotquot ſuperſunt, vetuſtiſſimum eſt carmen hoc Moſaicum, quamquam non primum omnium credimus. Auctor libri Sapientiæ perhibet, ea occaſione, Deum mutorum ora aperuiſſe, & eloquentia infantium linguas donaſſe (*a*); neminem ſcilicet Dei laudes ſiluiſſe. Nonnemo putavit, Deum ſecreta quadam inſpiratione indidiſſe canticum illud mentibus omnium Iſraelitarum. (*b*) Verum, Moyſis eſſe opus, ne ambigimus quidem. De legibus atque numero carminum Hebræorum varia eſt inter varios ſententia, quam, cum ad Pſalmos ventum erit, diſcutiam.

Variæ de Iſraelitarum tranſitu opiniones. Aquæ in glaciem concretæ.

XI. Quæ in Iſraelitarum tranſitu per mare Rubrum prodigia operatus eſt Deus, cavillis, falſis hypotheſibus, vaniſque interpretationibus infarciuntur, quin & omnino negantur. Quidam in ea fuerunt opinione, aquas ſcilicet tranſeuntibus Hebræis ſubſtratas ſolidum obſequium præbuiſſe; quam in rem pſeudo-Tertullianus cecinit: *Calcavit fluctus, hoſtes demerſit in undis*. Sed hæc Moſaicæ narrationi non conveniunt; quippe qui *aquam fuiſſe diviſam*, aperte teſtetur. Meliora tueretur, qui aquas utrinque veluti glacie concretas ſubſtitiſſe, contenderet. Legimus enim in libro Judith: *Ita ut aquæ hinc inde, quaſi murus ſolidarentur*. (*c*) Crediderim tamen, hanc

(*a*) Sap. x. ult.
(*b*) De mirab. Scrip. inter Auguſt. opera.
(*c*) Judith v. 12.

hanc phraſim figurato, & poetico ſenſu uſurpatam fuiſſe.

XII. Sacerdotes Mempheos, Artapano teſte, Moyſem diutina maris rubri inſpectione cum in Madianitide verſaretur, æſtum illius, ſtatis horis contingentem, ſedulo obſervaſſe, tempuſque nactum, quo aquæ recederent, copias per alveum ſiccum traduxiſſe, narrabant. Docet Clericus, Deum ſubito opportuneque ventum excitaſſe, qui & æſtum augeret, & imum maris fundum latius recluderet, ſimulque aquas, ne difluerent diutius contineret; eoque vento flante facilem Hebræis in adverſum littus trajectionem paratam fuiſſe; quibus etiam in extremo maris angulo verſantibus brevior eſſet per fretum via decurrenda. (*a*) *Aquarum æſtus.*

XIII. Joſephus poſt narratam ejus tranſitus hiſtoriam juxta ſacræ Scripturæ fidem, addit, ſe hæc recenſuiſſe, ut in Hebræorum codicibus inveniſſet, & cuilibet liberam ſentiendi facultatem permittere; num Dei voluntate per mare Iſraelitis via patuerit, an naturæ ſponte, quemadmodum & Alexandri Magni ductu Macedonibus mare Pamphilum ceſſerit (*b*). Porro Hiſtorici tradunt, Macedonas mare ingreſſos littus raſiſſe, ubi ſane aquarum altitudo tanta non erat, ut ſupra pectus militum aſſurgeret. Addit Arrianus, tranſitum illum impervium fuiſſe flante vento meridionali, ſed *Aquæ ſupra pectus non aſſurgunt.*

(*a*) In diſſert. de trajectione maris Idumæi.

(*b*) Antiq. l. 2. c. ultimo.

ſed vento ſubito immutato iter pervium fuiſſe. (*a*)

Iter per aquas obliquum.

XIV. Non pauci, quos inter S. Thomas (*b*), putarunt, Iſraelitas in adverſam maris ripam recta non perveniſſe, ſed deſcripto veluti in alveo ſemicirculo, ad ſuperiora ejus littoris contendiſſe. Poſterior hæc ſententia licet vetuſtiſſimis Hebræorum, quemadmodum & antiquis Eccleſiæ Patribus oppoſita, tolerari poſſet, dummodo ſemper adſtruatur tranſitus per aquas hinc inde diviſas, ſicco veſtigio; quod quidem miraculum S. Thomas admittere non recuſat. Si quis autem dicat Hebræos occaſionem recedentium aquarum nactos, raſiſſe tantum littus, relictoque priori loco, alterum remotiorem petiiſſe, hunc cum Joſepho, & Mempheos Sacerdotibus, aliiſque hujus prodigii peſſime meritis, confundimus.

Veritas miraculoſæ tranſfretationis narratione Moſaica aſſeritur.

XV. Principio, ſi Scripturas paulo diligentius conſideremus, facile inde intelligemus, inſigne in ea trajectione, ſi uſquam alibi, prodigium contigiſſe; cujus veritati tota adverſariorum hypotheſis repugnat. *Tu eleva*, ait Deus ad Moyſem, *virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare, & divide illud, ut gradiantur filii Iſrael in medio mari per ſiccum. Cum extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus . . . . . diviſaque eſt aqua . . . . quaſi murus a dextera ipſorum, &* *læ-*

(*a*) Strab. lib. 14. Arrian. de exped. Alexand. Lib. 1.

Toſtatus, Paulus Burg. Genebrar. Grot. Vatabl. Abenezra.

(*b*) In 1. ad Cor. 1.

læva (*a*). Porro hac Moyſis narratione nihil planius, nihil magis cohærens, nihilque ad exaggerationem expreſſum, ut ejus ſtilus Hiſtoricum vera prodentem, non poetam mendicatis phraſibus veritatem adulterantem, non obſcure demonſtret. An fortaſſe in animum quis induxerit, Moyſem ingenuum hominem, & plane non rudem, fabellam populo veritatem non ignoranti perſuadere voluiſſe? Anne oculatis rei teſtibus prodigium divinum ea occaſione obtrudere potuiſſet unquam, vel auſus fuiſſet? Etſi autem maris æſtum ignoraſſe populum dixerimus, nonne poſtea ſecundum littus iter habentes, & rem totam poterant deprehendere, & Moyſem malæ fidei hominem arguere, quippe qui naturalem eventum veluti prodigium ingerere voluiſſet.

XVI. Quod autem adverſariorum ſyſtema penitus evertit, illud eſt, nimirum Erythræi æſtum Ægyptiis notum eſſe debuiſſe. Quis namque, rogo, crediderit unquam, ſive Ægypti Regem, ſive alium quemquam ex ducibus, & militibus ad maris, regionem ſuam abluentis, fluxum & refluxum nunquam animum advertiſſe? Nunquam autem commiſiſſent Ægyptii, ut in alveum ſe ſe immittentes, refluentibus aquis opprimendos ſe darent. Eſto, ignoraverint; cum tamen abſorptam jam partem exercitus animadvertiſſent, quid ceteri non morabantur, neque cauta ſeceſſione ſaluti ſuæ conſulebant? Quid, quod juxta illam hypotheſim, Hebræis noctis ſilentio alveum ſubeuntibus,

Ratio ex æſtu petita adverſariis non ſuffragatur.

(*a*) Exod. XIV. 16.

tibus, cum ſcilicet aquæ receſſiſſent, Ægyptii adverſarii inſiſtentes, nonniſi ſubeunte mane, aquis ferme reductis, in viam ſe dare debuiſſent? Ultro igitur fateor, iiſdem, quibus maria cetera Oceano juncta, Ærythræum æſtibus agitari, quidquid in contrarium dicat Genebrardus. Sed medius alvei ſinus, aquis vel maxime recedentibus, areſcit nunquam, ut Julius Scaliger obſervat. Ex quo, inquit ille, vir oppido neque facilis, neque credulus, colligimus, adverſarios, captam a Moyſe æſtus occaſionem in trajectione ejuſdem freti ſicco veſtigio, per ſummam impudentiam aſſeruiſſe.

Moyſes ex Dei præcepto, non ex ſuo conſilio, inter anguſtias conſtitutus.

XVII. Ad hæc, transfretandi Iſraelitis conſilium pro data ſubito occaſione, non præmeditato, acceptum fuit. Moyſes enim exercitum ex Geſſen ad montem Sinai deducturus, per littus ad extremam Ærythræi oram, viam plane tritam, pergere inceperat. Deus autem flectere ſubito iter ad meridiem, ſecundum maris littus, ne indicta quidem mutandæ viæ ratione, præcepit. Vix autem Beelſephon venerant, in locum nempe montibus ad latera, & mari in fronte clauſum, cum nullam procedendi poteſtatem ſibi reliquam eſſe ſenſerunt. Quod vero Hebræis tunc maxime timendum erat, id illis inopinato contigit, populo nempe in anguſtiis clauſo Pharaonem cum exercitu ſupervenire. Quis porro crediderit, Moyſem in eas anguſtias populum conſulto deduxiſſe, unde niſi tranſvadato mari evadere unquam potuiſſet? Si Pharao in turbatum ſubito populum copias immiſiſſet, quid tota Moyſis ſoler-

ſolertia profuiſſet? Quid ejus conſilia, captata ſcilicet æſtus maris traducendo populo opportunitas, valuiſſent? Ægyptii permiſerunt quidem, interpoſita nube, & ut caſtra moverent Hebræi, & ut impune recederent: ſed quis hæc ſpondere ſibi potuiſſet futura?

XVIII. At enim audacter Moyſes omnia tentavit, neceſſitate compulſus, cui proſper eventus fortuito reſponderit. Qua ergo fronte ſibi de totius rei ſucceſſu antea ſpondere, atque populo ſuam ea de re fidem vadari auſus eſſet? Pollicitus eſt enim, Deum populo ſuo in Ægyptios opem laturum, decertaturum pro illo præſentiſſimis miraculis, omnes denique hoſtes ex illius oculis ſubducturum. Abſurdæ hypotheſis aſſertores, committere ſaltem debent, ut juxta prudentiæ regulas egiſſe virum ſolertiſſimum, atque gubernandi arte inſtructiſſimum, qualem fuiſſe Moyſem nemo diſitetur, oſtendant.

Prodigium transfretandi antea promiſſum.

XIX. Ad Joſephum quod ſpectat, omnes norunt, de aliis quoque miraculis ipſum ſubdubitanter, & frigidius locutum fuiſſe, quam Scripturarum auctoritas poſtulet. Amorem enim veritatis in eo nimium Gentilibus placendi ſtudium interdum corrupit. (*a*)

Teſtimonium Joſephi infirmum.

E ma-

(*a*) Vide Calmetum in diſſertatione. ſua de hoc argumento.

E mari Rubro digreſſi ad deſertum Sin veniunt Hebræi. Aqua amara corrigitur. Fontes & Palmæ Elim. Coturnices Iſraelitis immiſſæ. Manna quotidie pluit præter Sabbatum; unde illius Religio primum inſtituta. Manna Arabiæ longe diverſa a Manna Hebræis data.

CAP. IV.

Aquarum amarities corrigitur. I. Hebræis poſt transfretatum Ærythræum tridui itinere per deſertum Sur, conterminum, ſive etiam aliqua ſui parte confuſum cum deſerto Ethan, pervenerunt in quemdam locum, in quo inventæ quidem aquæ, ſed amaricantes; unde populus in murmur contra Moyſem effuſus eſt. (*a*) Hic ad Deum preces effudit, qui oſtenſum illi quoddam lignum, in aquas projiceret, imperavit; ſtatimque illarum ſapor correctus eſt. Cenſent aliqui, vim hanc mitigandi amarorem inſitam fuiſſe a natura ligno; cui quidem ſententiæ favere videtur Eccleſiaſticus: *Altiſſimus creavit de terra medicamenta..... Nonne a ligno indulcata eſt aqua amara?* (*b*) Joſephus autem tradit, Moyſem accepiſſe lignum, quod forte coram ſe vidit, ſciſſumque projeciſſe in puteos; aquas vero non prius potabiles fuiſſe, quam poſt eductam ingentem earum copiam (*c*). Loco nomen manſit *Mara*, hoc eſt Amarities.

(*a*) Exod. xv. 22. Menoch. Tir. Valeſ. Cajet. Lyran.
(*b*) Eccleſ. xxxviii.4.
(*c*) Joſeph Antiquitat. l. 3. cap. 1.

rities. Tradunt, aquas illas potabiles adhuc eſſe, quamquam jam inde ab ea ætate novam contraxerint acrimoniam ex nitro, quo ſolum ſcatet. Hic Deus generatim propoſuit populo conſilium ſuum de fœdere cum illis jungendo, tentavitque eorum animum, num mandata ſua vellent amplecti, an potius illa abjicere; ſimulque ſpopondit, futurum, ſi paruiſſent, ut calamitati, quam in Ægypto paſſi fuerant, nunquam in poſterum ſubjicerentur.

Fontes & Palmæ Elim.

II. Exinde in Elim ventum eſt, ubi duodecim aquæ potabilis fontes, & 70. palmas invenerunt. (*a*) Meminit Strabo nemoris palmiferi in eo regionis tractu, quinque dierum itinere a Jerico diſſiti. (*b*) Locus eſt apud Incolas religioſus ob uberrimas aquarum ſcaturigines, quamquam reliqua omnia circum ſiccanea ſint maxime, & arentia. Is locus aſſignari ſolet palmis Elim.

Hebræorũ in Moyſem & Aaronem murmur.

III. Quintadecima die ſecundi menſis, Jar poſtea nuncupati, poſt menſem ſcilicet ab egreſſu ex Ægypto, Hebræi ex Elim moventes, venerunt in deſertum Sin, inter Elim, & Sinai; quo in loco deficiente commeatu murmur contra Moyſem & Aaron innovavit populus, itineris incommodis vel ipſam in Ægypto mortem in carnium, & panis abundantia, præponens. (*c*) Moyſes, & Aaron poſtquam oſtendiſſent, querelas illas in Deum magis, qui ex Ægypto illos eduxerat, quam in ſe recidere, cibum ipſius Dei verbis polliciti

D

(*a*) Exod. xv. 27. (*b*) Strab. l. xvi. p. 511. & 513. (*c*) Exod. xvi.

citi ſunt, carnes ſcilicet veſpere illius diei, mane vero alterius panes. Ut autem dictis fides adhiberetur inſolita luce refulſit columna nubis, Dei præſentiam, virtutemque, ac in populum benignitatem teſtata. (*a*)

Deus coturnices immittit.

IV. Veſpere igitur ejuſdem diei, flante vento, immenſa coturnicum copia in caſtra Iſraelitarum delata eſt (*b*). Verno tempore, quod tunc agebant Hebræi, coturnices ex Aſia in Europam tranſmeare, & ad mare Rubrum ac Mediterraneum affluere conſuevere (*c*). Quare aves illas tunc temporis caſtris Hebræorum adfuiſſe, præter naturæ leges non erat. Quod vero ſtata die ac loco, ſubito quodam vento reducerentur, & eo numero ut paſcendis 2000000. circiter hominibus ſufficerent, nonniſi prodigio fieri potuit. Hebræum *Schelau*, quod Septuaginta, Joſephus, & Vulgata coturnices reddunt; Jonathan expoſuit phaſianos; Kimchi & Solomon accipiunt de optimis avibus, nihil addentes ulterius. Pluribus allatis conjecturis demonſtrare nititur D. Ludolfus, (*d*) ſermonem hic eſſe de locuſtis, quæ apud Arabiæ populos maxime ſunt in uſu. Nubes ejuſmodi animalium impellunt venti; quæ in acervos adunata, & ſale condita, ſervant incolæ, non indignum etiam Regum menſis epulum. Grotius quoque vix ſibi perſuadet agi re ipſa de coturnicibus. Verſionibus tamen ſtandum videtur.

V. Ma-

(*a*) Exod. XVI. 10.
(*b*) Exod. XVI. 13.
(*c*) Joſeph Antiq. l. 3. c. 1. Herodot. l. 2. c. 77. Bellon. obſerv. l. 2. c. 17.
(*d*) Apud Joh. Cleric. hic.

V. Mane alterius diei (*a*) ſuper inſtratum rorem, ceu ſuper tapetem, illapſum eſt quoddam pruinæ genus, quæ forma, & colore coriandrum, ſive guttas glacie concretas ad extremas frondium cuſpides, referebat. Alii margaritæ colorem illi tribuunt, vel eburis vetuſtate flaveſcentis. Oriente autem Sole, diſſipabatur ros, ac ſuper herbas, & arenam granuli illi recipiebantur; quibus cum candeſceret undique circa tabernacula terra, rei novitate ſtupentes Hebræi, alter alteri dicebat, *Manhu*; quod ſignificat *Quid eſt hoc?* Ex quo pruinæ illi inditum nomen *Man*, ſive *Manna*. Interrogantibus reſpondebat Moyſes: Panis eſt, quem vobis Deus ſuppeditavit. His auditis omnes per caſtra effuſi, captandis illis granulis operam dabant; ſed Moyſes frenum cupiditati eorum impoſuit, Domini verbis præcipiens, ne Manna menſuram gomor viritim in ſingulos dies excederet, neque ex ea partem aliquam in craſtinum ſeponerent. Excipiebatur dies Veneris, qua duo gomor colligenda erant, quod ſequenti Sabbati die manna non plueret. Porro *Gomor* genus eſt menſuræ cavæ, quæ noſtro Beverinio octo libras continet, (*b*) quantum ſcilicet voraciſſimis quibuſque ſufficiat. Quiſque pro voluntate manna collegit, magis minuſque; ſed qui ultra gomor ſibi comparaverat; alteri refundebat quidquid ad gomor illius defuiſſet. Fas tamen erat, ut minus, quam gomor quis ſibi provideret, ſi forte minori pro ſuo victu in-

Manna pluit e cælo.

D 2 di-

(*a*) Exod. XVI. 13. (*b*) De ponder. & menſur.

diguiſſet. Nonnulli Domini præceptum tranſgreſſi, in alterius diei mane, qui Sabbatum non erat, mannam reſervantes, vermibus illam ſcatere reperierunt. Quidam die Sabbati egreſſi e caſtris, mannam de more quærebant, ſed & vacui redierunt, & duris verbis excepti ſunt a Moyſe, qui Dei nomine præcepit, ut eadem die contineret ſe quiſque in caſtris, neque ad colligendam mannam, neque ad aliud quid præſtandum exiret. Hinc Sabbati religio facile primum celebrata eſt. Philo putat, Hebræos, cum e memoria excidiſſet, qua die creationis opus abſolviſſet Deus, rem totam hic iterum ex eo didiciſſe, quod mannæ pluvia ea die ceſſaſſet. (*a*) Perſuaſum habuerunt Juſtinus, (*b*) & Tacitus, (*c*) Judæos requiem Sabbati habere religioſam, quod ea die eorum ærumnæ, & itinera finem habuerint; quorum ſane opinio habet hic fulcimentum aliquod, ubi legimus acceptam a populo mannam, & celebratam primam Sabbati diem proxime ad Sinai montem, primam itineris ejus gentis metam. Ut autem ad mannam revertamur; ſucceſſu temporis, poſt conſtructum ſcilicet Tabernaculum, gomor manna plenum perennandæ beneficii memoriæ, juſſu Dei in Arca Fœderis conditum fuit; quæ quidem mannæ portio ad plura ſæcula intacta permanſit.

Mannæ ſapor. VI. Panis cæleſtis, & Angelorum eſca appellatur, ſive quod Angelorum miniſterio parare-

(*a*) De Vita Moyſis l. 1.

(*b*) Juſtin. lib. 36.

(*c*) Tacit. Hiſtor. l. 5.

raretur, ſive quod ea eſſet cibi ſuavitas, ut Angeli eo uterentur, ſi cibo indigerent. Addit Auctor Libri Sapientiæ, omnium guſtui mannam accommodari conſueviſſe, ut ſingulorum voluptatibus deſerviret; quin & ciborum ſapores varios, diſſimileſque in ſe conciliaſſe (*a*): cujus verba non deſunt qui ad literam intelligenda autument. Joſephus autem planiori interpretatione uſus, hanc eſcam omnium delicatiſſimam fuiſſe perhibet, nihilque ea deguſtata ſuavius quærendum remanſiſſe. Quod de ſapore mannæ ad comedentium voluptatem accommodato dicitur, privilegium facile erat juſtis tantum, & filiis Dei collatum, quibus ea in re hoc prodigio ſerviendum Dominus cenſuerit. Si enim hæc ſaporum varietas omnibus generatim Iſraelitis contigiſſet, non modo iniquum, ait S. Auguſtinus (*b*), ſed & ridiculum futurum fuiſſet, cum populus mannam faſtidiens, quereretur: *Anima noſtra arida eſt: nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri, niſi Man*. In Exodo (*c*) dicitur mannæ ſaporem fuiſſe ſimilæ cum melle, ſive placentæ ex melle; in Numeris (*d*) legimus, habuiſſe ſaporem panis oleati, in oleo ſcilicet fricti, vel oleo ſubacti, ſive poſt coctionem oleo illiti. Crederem, ibi ſermonem eſſe de manna cruda; hic autem de contuſa, cocta & parata.

Manna Arabiæ longe diverſa a manna Hebræis data.

VI. Sunt qui putent, Hebræos mannam plane noviſſe, quam ingenti imbre decidentem ſtu-

D 3 pen-

(*a*) Sap. XVI. 20.
(*b*) Aug. l. 2. Retract. c. 20.
(*c*) Exod. XVI. 30.
(*d*) Num. XI. 8.

pentes, alter alteri indicaret, dicentes, *Man-hu*, en mannam. Hanc ſententiam tuentur Salmaſius, Franciſcus Valeſius, Levinus Lemnius, Cardanus, & alii ſane plures, rati, mannam, qua paſti ſunt Iſraelitæ, nihil aliud fuiſſe, quam rorem ipſum craſſum denſumque, qui hodie pariter in Arabia pluit. Idem Salmaſius mel illud ſilveſtre, quo victitabat S. Joannes Baptiſta, mannæ genus putavit. Tota autem prodigii ratio, ſi prædictos audias Scriptores, inde petitur, quod Deus ita diſpoſuerit, ut certo ſervato ritu plueret. Cadebat enim quotidie, & conſtanter in locis ubi caſtra ponebant Iſraelitæ; idque quadraginta annorum ſpatio, ſcilicet ab hac deſertum Sin ſtatione uſque ad ingreſſum populi in Terram promiſſionis; tam vero uberi copia, ut immani illi multitudini alendæ ſufficeret. Feria ſexta duplo effuſior pluebat, ceſſabat vero Sabbato; & cum ceteris diebus ad alterum reſervata ſcateret vermibus, die Sabbati intacta perſeverabat. Præterea manna illa ſub dio relicta ferveſcente Sole liquefiebat; cum tamen quæ in Tentoria referebatur, adeo erat ſolida, ut contunderetur in mortario, & ignem pateretur, frixa in ſartagine, vel in placentas ſubacta. Hæc porro omnia fruſtra in vulgari Arabiæ manna quærerentur. Quamquam vero ea, quæ adnotavimus, ritum potius, & modum, quo pluit Hebræis manna, reſpicere videantur, quam illius naturam; animadvertendum tamen eſt, mannam vulgarem Arabicam laxandi potius ſtomachi, dejiciendique,

quam

quam nutriendi, ac ſuſtentandi vim habere (*a*). Aſſuetudine hanc cibi difficultatem vinci potuiſſe, cenſet Salmaſius. Non diffiteor quidem, nonnullos venenis aſſuetos, venena bibere impune. Sed quis hoc credat de omnibus omnino hominibus, ſi in quotidianum cibum venena adhiberentur? Et tamen ſcimus mannam Moſaicam aluiſſe omnes Hebræos, juvenes æque ac ſenes, imbecilles & validos, ſanos & infirmos. Ingentem mannæ vim ſufficiunt Calabria, mons Libanus, Delphinatus, aliæque plures regiones. Colligitur pariter manna in Polonia; ſed perperam id nominis ſibi uſurpat, cum veriſſimum ſit ſeminis genus, quod excuſſum, primoque cortice expoliatum, uti oriza, & hordeum paratur. Negat Altomarus Calabriæ, mannam genus eſſe roris e cælo ſtillantis, liquorem potius credens ex arborum trunco, foliiſque manantem. Contraria reputat Mathiolus, quod manna illa inſpergantur & lapides, & humus, non autem arbores tantum. Solaribus radiis ejuſmodi manna reſiſtit, quin & obduratur magis (*b*).

(*a*) Abbas Rouſſeau in in Exod. xvi. 15. & in ſuo libro *Secrets*. Dictſion. v. *Manna*.

(*b*) Vide Calmetum

Ad montem Horeb aquæ e ſilice educuntur; quod prodigium varie a variis explicatur. Amalecitæ a Joſue devicti exterminio deſtinantur. Deus legem fert, in quam nonnulla notantur.

CAP. V.

Aquæ e petra Horebi eductæ.

I. E Deſerto Sin Hebræi in Daphcam venerunt, inde in Aluz, ac tandem in Raphidim (*a*); ubi penuria aquarum conſuetum murmur in Ducem excitarunt, parumque abſuit quin ad lapides procurrerent. Seditioni compeſcendæ Moyſes juſſu Dei perrexit ad vicinum montem Horeb, ſenioribus populi comitatus, ibique coram eis deſignatam a Deo rupem virga percuſſit, ex qua aquarum vena potando populo fluxit uberrima. Loco nomen *Maſſa*, ſcilicet *Tentatio*, manſit. Obmurmurantes enim in Moyſem Hebræi, Deum quodammodo tentabant, ac ſi de præſentia illius in caſtris, ſive de illius virtute, & clementia in populum dubitaſſent. Fons e ſilice per Moyſem eductus adhuc ſupereſt, ſi quibuſdam itinerantibus fides; aliis tamen refragantibus, qui dicunt vix levia remanere aquæ veſtigia, olim erumpentis per duodecim ora, æque diſtantia inter ſe, alterum ſuper alterum ad perpendiculum poſita. Silex iſte MD. paſſibus circiter a Sinai abeſt. Nunc Horebi vertex tribus aquarum fontibus irriguus, pomiferarum arborum copia vireſcit.

II. Tra-

(*a*) Exod. XVII. I. Num. XXXIII. 12.

II. Tradit Apoſtolus, hunc ſilicem Chriſtum præfiguraſſe, manantemque ex eo aquam Iſraelitas iter habentes proſecutam fuiſſe (*a*). Sive quod deductus e ſilice rivus, ſive ipſa petra, ſive tandem onuſtæ eadem aqua ſarcinæ populum ſequerentur. Poſterior hæc opinio immane quantum ardua! Qui enim tamdiu, ac tam longe petitæ, immenſæ adeo multitudini pares, deferri aquæ potuiſſent? Summoveretur tamen difficultas, ſi Hebræi ſecum detuliſſent aquam illam, non toto quadraginta annorum itinere, ſed in illas tantum Horebo viciniores regiones, quæ aquis non maderent. Altera ſententia, eum nimirum ſilicem per totum deſertum curru vectum, dolii cujuſdam inſtar, eadem ſemper aquarum copia Iſraelitas recreaſſe, placuit non ſolum quibuſdam Rabbinis, ſed & Ambroſio, Chryſoſtomo, Ambroſiaſtro, Photio apud Oecumenium, S. Thomæ, & Cantacuzeno. Quæ ſupereſt ſententia dupliciter explicaretur; primum ſcilicet aquam e ſilice ſtudioſe adeo proſequutam Hebræos, ut in montes irreperet, per arenas flueret, ſtaretque veluti conſtituto loco, ubi caſtra metarentur, ibique ſtagna formaret, quibus multitudo potaretur. At neceſſe non eſt tantum prodigium, Moyſe præſertim non narrante, comminiſci. Pronior igitur & ſufficiens ad Pauli mentem aſſequendam eſt altera explicatio, qua docemur, Iſraelitas curſum rivuli, quem aquæ Horebi forbamant, ſequutos, & quamdiu circa rivum iter

Variæ de petra Hebræos ſequente opiniones.

(*a*) 1. ad Cor. x. 4.

iter habuere, numquam illis defuiſſe aquam; inde tamen profectos ad Cadesbarne (*a*) iterum aquarum inopia laboraſſe. Uſſerius profecto putat, eas aquas in Aſiongaber ad mare defeciſſe; verum Hebræi volunt, aquas illas merito Mariæ cælitus, ut iidem affirmant, conceſſas, uſque ad illius obitum, toto ſcilicet quadraginta annorum itinere, perduraſſe. Hinc, ajunt, caſtrametatus ad Cadesbarne populus, ubi Maria diem clauſit, aquæ penuria iterum laboravit.

Amalecitæ prælio devicti. III. Amalecitæ timentes, ne Hebræi infeſta arma ferrent in ditionem ſuam, præoccupandos decrevere (*b*): quare Iſraelitas in eodem Raphidim deſerto invadentes, eos, qui ob laborem, defatigationemque poſt alios remanſerant, crudeliter necarunt. Moyſes vicem populi dolens, præcepit Joſue, ut ſeleċtiſſimis ſtipatus copiis manum cum hoſte conſereret; ſpopònditque ſimul, ſe altera die montis verticem, unde in ambos exercitus eſſet proſpectus, aſcenſurum ſua virga inſtructum, ut pugnam cernens, opportunam opem populo & precibus, & ipſius virgæ elevatione conferret. Prælium igitur committente Joſue, Moyſes in editum collem, quem ipſum Horebi montem nonnulli credunt, aſcendens, belli exitum una cum Aarone, & Hur ſpectabat. Cum autem animadvertiſſet, ſe dum elevatas ad cælum manus teneret, potiorem ſuorum cauſam efficere, inferiorem vero, dum manus demitteret, juſſit Aaronem, & Hur utrin-

(*a*) Num. xx. (*b*) Exod. xvii. 8.

utrinque adſtantes, manus ſibi indeſinenter ſuſtinere, neque permittere, ut per laſſitudinem demitterentur. Ita fuſi, cæſique Amalecitæ. Porro hi poſteri erant Amalech, filii Eliphas, primogeniti Eſau (*a*). Finitimos Chananæis, & Idumæis in Arabia Petrea, Erythræum verſus, ſcimus; quamquam eorum regionis vel limites, vel amplitudo adamuſſim deſcribi nequeant. Calmetus gentes illas non ex Eſau, ſed ex Chanaan deducit (*b*), quod viro doctiſſimo haud inviti daremus, ſi inter Chanaam poſteros virum aliquem Amalech nomine Moyſes adcenſeret. Inſignem illam victoriam, Deus imperavit Moyſi, ut ſcriptis mandaret, moneretque ipſumque Joſue, Amalecitas penitus delendos ſe velle. Erexit deinde Moyſes Altare Deo, cujus juſſu, & auſpicio vicerat, illique nomen impoſuit: *Dominus exaltatio mea:* ſive, ut alii malunt, *Dominus vexillum meum*. Ea autem occaſione dixit Moyſes: *Quia manus ſolii Domini, & bellum Domini erit contra Amalech a generatione in generationem* (*c*). Quæ quidem verba crucem Interpretibus figunt. Ita enim primo redderentur: Quia manus Amaleci protenſa eſt in Hebræos, ſuper quos, ceu ſuper ſolium, Deus regnare decrevit, bello Dominus affliget Amalecitas, donec penitus deleantur. Apte etiam explicarentur in hunc ſenſum: Dominus extulit manum ſuam ſuper ſolium, ſive thronum ſuum, juravitque, ſe in perpetuum Amaleci-

tas

(*a*) Gen. XXXVI. 12.

(*b*) Suppl. v. Amalecitæ.

(*c*) Exod. XVII. 16.

tas perditurum. Eſt & alia interpretatio, quæ affine aliquid refert inter minas Domini, & nomen Altari a Moyſe excitato, impoſitum; appellavit enim: *Dominus vexillum meum*. Ita autem habet: Dominus vexillum manu cœpit, velut ſtrenuus Imperator, ut deſtruat in perpetuum Amalecitas.

Quis Joſue? IV. Joſue, cui bellum Moyſes in Amalecitas commiſit, patrem habuit *Nun*, quem Septuaginta *Nave* vocant, ex Tribu Ephraim. Primum illius nomen Oſee (*a*); cui nomen Dei additum eſt. *Hoſeach* enim *Salvatorem* ſonat; *Jehoſua* autem, *Dei ſalutem*, ſive *Ipſe ſalvabit*. Quando Joſue, vel Jeſus, ut ferunt Septuaginta, id nomen obtinere cœperit, diſputatur. Alii profligatis Amalecitis, alii poſt exploratorum Chanaanitidis regreſſum volunt. Joſue Moyſi adhæſit, & paſſim famulus Moyſis dicitur. Libens tamen, volenſque adhæſit, eoque tanto præceptore didicit Iſraelis regendi rationem, cujus imperium, obeunte Moyſe, poſtea ſuſcepit. Priſcis temporibus plures illuſtres viros, Heroum ſervitio adſcriptos, legimus. Amicitiæ potius ſervitus erat quam neceſſitatis. Hinc Homerus Patroclum Achillis ſervum, & Merionem Idomenæi inducit, licet ambo inter Græcos Trojam obſidentes, eminerent.

Quis Hur? V. Hur filius Calebi, Eſronis filii, alterius a Calebo filio Jephonis, filium habuit Uri, & ex Uri nepotem Beſeleelem, quem Moyſes Tabernaculo perficiendo deſtinavit (*b*). Ex fide

(*a*) Num. XIII. 9. 17. (*b*) I. Paralip. II. 19. 20.

fide Joſephi Hur conjugem habuit Mariam Moyſis ſororem (*a*). Alii volunt, hunc Hur ejus mulieris filium fuiſſe; quæ tamen opinio minus quam prior veritati accedit; cum apud Noſtrates Maria ad obitum uſque virgo permanſerit.

Mons Sinai.

VI. Tertia die tertii menſis, & a relato ex Ægypto pede quadrageſima nona, Hebræi ad Sinai radices pervenerunt (*b*). Deſertum Sinai, ubi Iſraelitæ per annum caſtrametati ſunt, ſuper circumjacentem agrum non modice aſſurgens, porrigitur in planitiem, undique petris, & collibus duodecim fere millia paſſuum ambitu cinctum. Circa extremitatem ſeptentrionalem duo excelſi montes apparent, quorum alter Sinai, alter Horebus appellantur. Sinai tertia ſaltem ſui parte alteri præſtat, acutior, & aditu difficilior. In vertice planities patet ardua, & inæqualis, ſexaginta ſimul continendis hominibus ampla, in qua ædicula S. Catharinæ viſitur. Hic jacuiſſe ferunt ſpatio 360. annorum corpus ejuſdem Virginis; donec nimirum in Templum ad radices ejuſdem montis transferretur, ubi & Monaſterium ab Juſtiniano ædificatum. Horebus occidentem ſpectans, a vertice Sinai exoriente Sole obumbratur. Hic Lex a Deo ſcribenda erat, jacienda Reipublicæ Iſraeliticæ fundamenta, eodemque Deus ex Ægypto Judæos ad ſacrificandum acciverat.

Deus Moyſem alloquitur.

VII. Moyſi igitur, cum Sinai cacumen ille aſcendiſſet, in memoriam Deus revocavit prodigia,

(*a*) Antiq. l. 3. c. 2. (*b*) Exod. xix.

digia, quibus Iſraelitas, præſertim dum ex Ægypto liberarentur, proſequutus fuerat, præcepitque ut illis ſignificaret, ſe præſto eſſe ad ineundum ſolemne fœdus, quo ipſe Hebræos acciperet in populum ſuum, ſibique præ ceteris Orbis gentibus adeo adſcriberet, conſecraret, ſuiſque deſtinaret ſervitiis, ut Sacerdotes ex ipſis electi clavum Imperii ſimul, & rerum ſacrarum tenerent; ea tamen conditione, ut ipſi viciſſim fidem ſuam obligarent, ſe ſervaturos præcepta omnia, & leges fœderis mox proponendas (*a*). Moyſes ad inferiora deſcendens, Dei verba omnia coram frequenti Principum populi concione expoſuit. Aſſentiente autem populo propoſitis conditionibus, ipſa eadem die Moyſes in montem ſe reſtituit, ut legationis ſuæ rationem Deo redderet. Cui Deus: Huc uſque ſeorſum, & clam tecum egi; deſcendam poſthac ſuper montem, & licet caligine obumbratus, palam tamen tecum verba, omni populo audiente, faciam. Ita enim fiet, ut plenam in poſterum tibi, perfectamque fidem adhibeat. Redi iterum, & populo veſtium lotionem indicito, ut paratus ſit in diem tertium Legem recipere, quam coram omnibus dictabo. Terminos deſignes, edico, quos prætergredi, atque ad montem propius accedere nemo hominum, vel etiam brutorum poſſit. Cum clangor buccinæ ſimilis e vertice montis inſonuerit, tunc procedant Iſraelitæ ad conſtituta repagula, vocem Dei audituri. Hæc omnia Moyſes e mon-

(*a*) Exod. 19. 3.

monte deſcendens ad populum retulit, præcepitque, ut ab opere conjugii die illa, & inſequenti abſtinerent. Judæorum doctores tradunt, lotionem corporis ſemper addendam, cum Scriptura lavare veſtes jubet.

Deus in Sinai majeſtatem ſuam aperit.

VIII. Tertium diem, qui cum ſexto menſis tertii, & quinquageſimo ſecundo poſt exitum ab Ægypto componitur, jam lux aperuerat, cum reboantia ſubito tonitrua, fulgura, nubes verticem montis obtegens, ex eaque erumpens flamma, & fumus, ac vehemens quidam, ceu tubarum, ſonitus, divinæ præſentiæ ſignum exhibuere (*a*). Tunc Moyſes, populo comitante, proceſſit uſque ad terminos ad montis radices conſtitutas. Vocatus deinde a Domino, montis cacumen conſcendit; a quo juſſus eſt rurſum deſcendere, populo iterum indicturus, ne propius accederet, moniturus autem Sacerdotes, ut majori ſanctimonia nitere conarentur. Sed quinam Sacerdotes iſti? An Aaronici per anticipationem dicti? An primores natu? An tandem juvenes ad ſufficiendas victimas electi? Omnia probabilia. Ad populum quod ſpectat, excepit Moyſes, vix timeri poteſt, ne montem aſcendat, poſtquam & tu ſolemni cautione interdixeris aſcenſum, & mons ipſe, tanquam ſacrum aliquid & inviolabile, ſepto a reliquis locis omnibus ſit ſegregatus. Sed Deus iterum juſſit, ut mandata, & pœnas in refractarios præſcriptas, populo & Sacerdotibus iterum denuntiaret, facta tamen facultate, ut cum ad ſe redi-

(*b*) Exod. xix. 16.

rediret, Aaronem comitem haberet. Statim vero ac Moyſes una cum fratre in ardentem montis verticem aſcendit, clara voce, ceu ingenti quodam tronitu, locutus eſt Deus, legemque in hæc verba promulgavit (*a*).

Decalogi lex rogatur.

IX. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſervitutis.*

I. *Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum, quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea, neque coles. Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum qui oderunt me; & faciens miſericordiam in millia iis qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.*

II. *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit Dominus inſontem eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra.*

III. *Memento ut diem Sabbati ſanctifices: ſex diebus operaberis, & facies omnia opera tua; ſeptimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt: non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, ſervus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena qui eſt intra portas tuas: ſex enim diebus fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt: & requievit in die ſeptimo; idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & ſanctificavit eum.*

IV. *Ho-*

(*a*) Exod. xx.

IV. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*

V. *Non occides.*

VI. *Non mœchaberis.*

VII. *Non furtum facies.*

VIII. *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.*

IX. & X. *Non concupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis uxorem ejus, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.*

Populus Dei vocem palam auſcultat.

X. Porro Dominus ita locutus eſt cum Moyſe, & Aarone, ut claras, & diſtinctas voces populus etiam auſcultaret. Veteres Legislatores datas a ſe leges ita invexere, quaſi ſcilicet acceptas e cælo promulgarent. Sed deorum ejuſmodi revelationes nunquam teſtimonio populi auſcultantis comprobatæ ſunt; quin & multorum fallaciam detexit hominum ſagacitas; nec niſi vulgi ſimplicitas, & credulitas tantam illis attulit audaciam, ut craſſam adeo fraudem ſtruerent. Nihil hic præſtat Moyſes, niſi palam: ejus leges præcedebant, & veluti ſatellitio comitabantur, ſubſequebanturque prodigia, omnium teſtimonio exploratiſſima.

Quomodo Decalogi præcepta diſtribuantur.

XI. Legis præcepta decem omnes recenſent; ſed varii varie illa diſtribuunt. Quidam quatuor præcepta referunt ad Deum, ſex reliqua ad proximum: qui verba illa: *Non habebis deos alienos coram me*: ita accipiunt, veluti ſi aliud exhiberent præceptum ab illo: *Non fa-*

cies tibi ſculptile. Verum S. Auguſtinus cum aliis ſane multis, nonniſi tria præcepta ad Deum relata, ſeptem vero ad proximum, agnoſcit: jungit enim ille: *Non habebis deos alienos coram me*: cum proxime ſuccedentibus: *Non facies tibi ſculptile*. Poſt verba autem illa: *Honora patrem tuum*, & deinceps ſeptem præcepta recenſet, inducto diſcrimine inter illud: *Non concupiſces domum proximi tui*: ab altero: *Non deſiderabis uxorem ejus*. Fatendum tamen eſt, totam hanc diſtinguendorum præceptorum rationem ex arbitrio tantum pendere. Porro ex numero decem nomen *Decalogus*, ſcilicet decem præcepta, ſive verba, aut ſermones, ortum eſt. His autem præceptis totius Religionis ſumma continetur; ad quæ pariter referuntur cæremoniales, & judiciales leges omnes, quæ apud Moyſem reperiuntur. Quemadmodum autem omnes aliæ leges uno Decalogo continentur, ita Decalogi vim omnem exprimunt gemina præcepta amoris Dei, & proximi (*a*).

An Deus per ſe ipſum legem tulerit. XII. Moyſes conceptis verbis refert, Deum ipſam legem tuliſſe; ſed S. Stephanus ait, Hebræos in *diſpoſitione Angelorum* legem accepiſſe (*b*). Hinc communis opinio fert, Angelum a Deo miſſum, ejus nomine verba feciſſe. Ex Patribus tamen plures cenſent, Angelorum nomine Moyſem, Aaronem, Joſue deſignari (*c*). Oecumenius ſic explicat: accepiſtis

(*a*) Matth. XXII. 40. Marc. XII. 31.
(*b*) Actor. VII. 30. 53. Gal. III. 19.
(*c*) Chryſoſt. Euthym. Theophyl. S. Thom. in

piſtis legem, qua velut in Angelos transformaremini, ſi quidem morem Deo geſſeritis. Tandem S. Stephanus facile ſpectavit Angelorum choros, quibus Deus ſtipatus legem tulit (*a*).

Decalogi præfatio.

XIII. Nonnulla ſunt in Decalogo, quæ notis illuſtrari depoſcunt. Principio nihil aptius illa præfatione: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſervitutis*: cum & incutiendo terrori ſupremam Dei præcipientis majeſtatem, auctoritatemque proponat; & inclinandis ad obedientiam animis recentiora beneficia commemoret.

Primum præceptum eſt etiam affirmativum.

XIV. Verba illa, *Non habebis Deos alienos coram me*, idem ſonant ac diceretur: *Non habebis deos alios, ſed tantum me*. Quare primum præceptum nedum negative accipiendum eſt, ut nefas ſit falſa numina colere; ſed & poſitive, ut vero Deo omne ſupremi obſequii ſpecimen, puta ſacrificium, oratio, laus, corporis animique demiſſio, & actus theologalium virtutum exhiberi debeant.

Vetuerit ne Deus abſolute cujuſcumque generis imagines.

XV. Cavet Deus, ut abſtineant Iſraelitæ ab imaginibus ſive cælatis, ſive pictis. Non de quibuſvis imaginibus latam fuiſſe hanc legem, optimi quique Interpretes ex eo inferunt, quod Moyſes ipſe Cherubim cælata ſuper Arcam conſtituerit. Locavit etiam Salomon Cherubim in Templi Sanctuario: inſculptos tauros, & boves baſis loco ſubſtituit vaſi, quod Mare appellatum eſt; ſicut & Labra, ſive aquarum receptacula in Templo variis fi-

(*a*) Deut. XXXIII. 2.

gurarum anaglyphis ornata ſunt (*a*). Tabernaculi etiam velamina phrygio opere pictas imagines referebant. Imagines igitur falſorum Numinum prohibet Deus, non autem illas, quæ ab idololatrandi ſcelere remotæ erant. Quidam docuerunt, permiſſas duntaxat imagines rerum per ſe non-extantium, ut erant Cherubini, variis formis expreſſi, monſtrumque referentes, ex homine, bove, aquila, & leone conpactum. Eoque referunt Judæorum facinus, Imperatoris ſtatuam, & aquilam auream rejicientium; ſicut & Joſephi teſtimonium, boum ſimulacra a Salomone fabricata damnantis (*b*). Sed mirum videri non debet, quod Judæi ſtatuas Imperatorum recipere abnuerint; ritu enim ethnico illæ dedicabantur, & divinis honoribus colebantur (*c*). Ad Joſephum quod ſpectat, ſi ipſe Salomonem ea de cauſa damnavit, noſtra nihil intereſt, cum Scriptura omnia Salomonis ad Templi ornatum opera comprobet. Quod ſi quis pertinaciter contendat, imagines quaſcumque hoc præcepto Hebræis prohibitas fuiſſe, etiamſi divinis honoribus non colerentur, ſuam illi permittimus opinionem, modo fateatur, hoc præceptum fuiſſe cæremoniale, quatenus imaginum quarumvis uſum interdicit ad removendum ab Hebræis idololatrandi periculum; morale vero, quatenus idola, & idololatriam prohibet: poſteriori autem iſto reſpectu omnes omni-

(*a*) Exod.xxv.18.3.Reg. vi.24. & vii.44. & 28.

(*b*) Joſeph.lib.2.de bello c.8.& 9. Antiq. l.17. c.9.

(*c*) Joſeph. l.18. Antiq. c.10. & l.2. de bello c.9.

omnino homines obligare; priori autem ſolos Hebræos, ſicut præceptum de Sabbati obſervantia.

XV. Defendit Grotius, pœnam, quæ conſequitur & parentes, & filios uſque ad tertiam, & quartam generationem, ad unum dumtaxat idololatriæ ſcelus ſpectare; quo in puniendi genere, Deus, inquit, diſpotico in vitam, & in bona omnium jure utitur (*a*). Vulgo tamen interpretes dictum referunt ad omnia crimina; qui tamen non conveniunt: nam alii illud accipiunt de filiis, qui ab impiis parentibus impietatem, non ſecus ac naturam referant; alii pios filios non excludentes, ajunt, numquam committere Deum, ut in malis inferendis eadem patiatur pius filius æque ac impius pater. Idem enim malum, quod pio filio infligitur, patri quidem impio pœna eſt, cum torqueatur in filio; ſed filio non eſt pœna, cum illi detur in virtutis exercitium, & gloriæ incrementum. Quando autem Deus per Ezechielem pollicetur futurum, ut quicumque peccaverit, ipſe, & non alius pereat, nec filius patris, nec pater filii ſcelus portet (*b*), ſtatuit pariter filios a moribus parentum receſſuros, & parentes nullam in filiorum ſceleribus communionem habituros; ſaltem pro illa temporis circumſtantia, in qua Iſraelitæ detinebantur. Quare Ezechiel nequaquam Moyſi contrarius debet judicari. Explicata ratione juſtitiæ Dei, *ſub quo*, ut do-

Parentum peccatum in filiis punitum.

(*a*) Grotius in explic. Decalog. ut Græce extat.

(*b*) Ezech. XVIII. 4. Vide & Hierem. XXXI. 19

cet Auguſtinus, *nemo miſer eſſe, niſi mereatur, poteſt*; nihil de divina miſericordia remanet dicendum. Cum enim gratuito miſereatur Deus, facile intelligimus, illum miſericordiæ ſuæ ſinu homines, qui ipſum diligunt, ac poſteros illorum per longas generationes, complecti.

Quotuplici ratione Dei nomen in vacuum aſſumatur.

XVI. Nomen Dei in vanum aſſumitur, I. Cum emittitur juramentum, cui deſit aut veritas, aut judicium, aut juſtitia (*a*). Deerit autem juramento veritas, ſi fiat mendaciter; judicium, ſi pro re levi, eſto vera ſit; juſtitia, ſi pro re illicita. II. Cum Dei nomen tribuitur falſis Numinibus, qui interdum nomine Vani, ſeu Vanitatis in Scriptura deridentur. III. Cum Dei nomini convicia inferuntur. IV. Cum quis ſine debita reverentia, aut per jocum, & iram Dei nomen pronunciat. Joſephus & Philo addunt, nefas eſſe blaſphemare deos, quos Gentes colunt; laudantque in eam rem illud: *Diis ne detrahes* (*b*). At errant turpiter, cum dii, quibus non eſt detrahendum, ſint Judices & Principes, de quibus dicitur: *Deus ſtetit in ſynagoga deorum* (*c*).

Dies Sabbati in diem Domini translata.

XVII. Legis naturalis dictamine docentur homines, totum ſuum tempus, ſeque ac ſua omnia in Deum referre. Sed cum pluribus ad vitam neceſſariis operam dare, ſeque diſtrahere cogantur, Deus e ſingulis hebdomadis diem certam ſelegit, qua ceteris curis omnibus

(*a*) Jerem. IV. 2.
(*b*) Exod. XXII. 28.
(*c*) Pſal. LXXXI.

bus amotis, totos ſe homines officiis Deo ſuo præſtandis exerceant. Ceteris autem omnibus in hanc rem opportunior Sabbati dies viſa eſt, qua Deus, peracta Mundi creatione, quievit. Ita lex Sabbati, legem hanc naturalem determinavit; quæ ſane determinatio cum juris ſit poſitivi, transferri utique potuit e Sabbato in diem Dominicam, qua reſurgentis Jeſu Chriſti memoriam veneramur. Id autem factum fuiſſe ab Apoſtolis, non dubitamus, cum de die Dominica in Apocalypſi mentio fiat (*a*). Quo autem Sabbati lex exactius obſervaretur, ſimulque humanitatis ſenſus altius inſinuaretur; præcepit Deus, ut ea die nedum ſervi, ſed & jumenta a laboribus ceſſarent. Diodorus Siculus tradit, agi apud Judæos Sabbati ferias in honorem Saturni, cui ſacra erat dies illa ex Paganorum religione. Maluit Plutarchus, Bacchum ea die coli a Judæis, quod in ejus Numinis ſolemniis inclamarent: *Saboi* (*b*). Prodigioſa de rebus Judaicis ignorantia! De Sabbati feſto alibi plura invenias (*c*).

Præmium filiis parentes colentibus promiſſum.

XVIII. Statim poſt debita erga Deum officia, præceptum de honorandis parentibus proponitur: quo honoris nomine officia omnia illis debita, uti obedientia, ſubjectio, amor, gratitudo, ſubſidium comprehenduntur. Patrum autem nomine intelliguntur etiam Superiores, Principes, Magiſtri, & Seniores, qui ſuo

(*a*) Apoc. 1. 10.
(*b*) In Sympoſ.
(*c*) Vide hanc Hiſtor. l. 1. c. 2 n. 10. l. 3. c. 4. n. 5. l. 4. c. 3. n. 2.

ſuo ordine ſunt venerandi. Quamvis autem vita diuturna tantum iis qui huic præcepto parent, promittatur, ex Patrum tamen ſententia non excluduntur bona æterna & ſpiritualia, quorum diuturna illa vita typus eſt, & pignus. Parentibus erga filios nil præſcribitur, cum omnium præceptorum inſtar ſit naturalis parentum in filios amor, & propenſio.

Omnis privata vindicta vetita.

XIX. Præcepto non occidendi, non modo ipſum homicidium vetitum eſt, ſed & vulnera, odium, & ultio quæcunque, privata auctoritate exacta. Cum e re publica cenſetur neci aliquem tradere, res ad publicos Magiſtratus referenda eſt. Si forte ad tuendam vitam, vim vi repellere, & adverſarium ſuum occidere privatus cogitur, ad excuſandam homicidii culpam, quatuor hæc probanda ſunt. I. Nihil ipſum eſſe molitum, niſi defenſionem ſuam, & vitæ conſervationem. II. Adverſarium ſuum fuiſſe aggreſſorem. III. Necem ita intuliſſe, ut nec ultionem, nec adverſarii mortem optaret. IV. Juſtæ denique defenſionis limites non exceſſiſſe. Nonnulli præceptum de non occidendo nedum ad beſtias, ſed etiam ad plantas extendebant (*a*); quorum tamen opinionem ipſius Chriſti interpretatio penitus excludit: *Non homicidium facies* (*b*). Una vero cum homicidio prohibita maledicta, convicia, rixas, percuſſiones, & cetera omnia, quibus proximus lædi poteſt, nemo ignorat.

XX.

(*a*) Aug. de Civit. l. 1. c. 20. & de hær. ad Quodvultdeum.

(*b*) Matth. XIX. 18.

XX. Hebræorum nonnulli docent, Decalogi lege, quæ eſt de adulterio, ſive mœchia, nullum aliud crimen, quam quod eo vocabulo intelligitur, vetari; quæ vero ſucceſſu temporis acceſſerunt prohibitiones, illas perinde habent, ac præcepta judicialia, ſive cæremonialia, alterius plane a Decalogo auctoritatis. Nobis eo præcepto omnis illicitus concubitus, atque memborum generationi inſervientium non legitimus uſus prohibitus intelligitur. Cum mœchiæ nomen ſtupro etiam; fornicationi, ſodomiæ, omnique impudico amplexui explicando ipſi quoque prophani Scriptores adhibuerint (*a*). Quamquam ſi nomen illud unam tantum haberet ſignificationem, cum aliena ſcilicet uxore coire, poſita intelligeretur ex Scripturarum more ſpecies pro genere, ut ſupra pro omni læſione homicidium, & pro qualibet ſuperſtitione idolorum cultus. Præceptum pariter de furto extendi debet ad quamcunque alienorum bonorum fraude, dolo, artificio, aut vi uſurpatam poſſeſſionem. Crimina omnia falſitatis, mendacia, calumniæ, accuſationes, corruptiones judicum, & quidquid ſinceritatem, & Juſtitiam in commercio vitæ neceſſariam ſubducit, ſive ſint cum obteſtatione divini nominis, ſive non, falſo teſtimonio, Decalogi lege prohibito, continentur.

Adulterium, furtum, falſum teſtimonium.

XXI. Cum autem reputari facile potuiſſet, modo manus abſtinerent a rebus in Decalogo inter-

Mala cupiditas interdicta.

(*a*) Berti de Theol. de hanc Hiſt. l. 2. c. 10. Diſcipl. l. 20. c. 8. Vi- n. 3.

interdictis, nullam exinde eſſe criminis culpam, docuit Deus poſtrema ſuæ Legis parte, non ſatis eſſe ab adulterio, & a furto ſe continere, niſi ſimul mala eorumdem criminum cupiditas ex animo, quem ille præſertim intuetur, evellatur. Joſephus & Judæi Jeſu Chriſto coævi; quin & infra illud tempus nonnulli, uti R. David Kimchi, cenſuerunt criminis deſideria, abſque pravi operis executione, immunia eſſe a culpa; eo quod, dicebant, nulla pœna hiſce cupiditatibus in Lege præſcribatur (*a*). Verum pœna a Lege conſtituta, cum infligenda ſit per Judices, ad quorum notitiam actus duntaxat externi perveniunt, intimas animi cupipitates reſpicere ſane non poterat.

Altare tumultuarium. Angelus deducendo Iſraeli promittitur. Poſt datas plures leges, fœdus Deum inter & populum initur. Tabernaculo conficiendo multa præſcribuntur. Populus vitulum adorat; de quo idolo plura diſſeruntur. Moyſes tabulis Legis confractis, ſontes punit.

CAP. VI.

Altare rude, & tumultuarium, in quo nulli gradus.

I. VOce, & apparatu Dei Legem ferentis, perterrefactus populus, timenſque, ne ſi iterum illum audirent, omnes morerentur, Moyſem rogavit, ut ipſe divinas juſſiones ad ſe deinceps referret. Recedente igitur populo a mon-

(*a*) Antiq. l. 12. c. 13. Pſalm. LXVI. 18. Matth. 5. 28. Kimchi in

à monte, cui divina Majeſtas inſederat, ac procul conſiſtente, Moyſes, Aarone facile comitante, ad nubem, ex quas Deus loquebatur, acceſſit. Cui Dominus poſtquam mandaſſet, ut Iſraelitis in memoriam ſerio revocaret, deos auro, vel argento efformatos a ſe omnino proſcriptos fuiſſe, edixit, ut Altare ex aggeſta humo, vel lapidibus ferro non dolatis ſibi erigeretur (*a*). Sed quorſum hæc? Ut altare ſtatim diſſoluto, aut ſua ſponte corruente, idololatrandi, vel extra Tabernaculum ſacrificandi occaſio amputaretur. Altare illud ex eorum numero cenſebatur, quæ tumultuaria dicebantur, ex inſolito eventu excitata. Volunt nonnulli ferrum prohibitum, ne lapidibus ejus Altaris inſculperentur idola, vel magici alii characteres. Malunt alii, ferrum non bene convenire Altaribus, quod metalli ejus inſtrument apræliis, & cædibus inſerviant. Cavit etiam Deus, ne gradus ejuſmodi Altari adderentur: cujus rei cauſam deſignans, ait: *Ne reveletur turpitudo tua*. Præceptum illud ſubindicat, nullum fuiſſe tunc femoralium, uti ætate noſtra, uſum. Cum autem deinde Moyſes rei indignitati occurriſſet (*b*), imperans Sacerdotibus ampliores quaſdam zonas, femoralium inſtar, ac talares, clauſaſque tunicas, nunquam tempore miniſterii deferendas, viſa ſunt Altaria ſuis gradibus, ſive ſcala inſtructa. Vel dicas horum Altarium gradus humiliores fuiſſe, quam ut ex illis aliquid

(*a*) Exod. xx. 24.

(*b*) Vide hanc Hiſt. l. 4. cap. 9. n. 1.

quid indecorum timeretur. Crederem autem, Moyſem paraſſe ex aggeſta humo viam leniter aſcendentem, quæ ad Altare, de quo agimus, duceret. Arbitratur Spencerus, Pyramides Ægyptias ſublimium Altarium genus eſſe quoddam, quorum gradus cum plus nimio altiores eſſent, aſcendentes Sacerdotes cogebant intuentium oculis revelare quæ celare pudor jubet; nec alia cenſet loca illa eminentia Judæ, & Iſraelitis, Scripturæ vituperationibus notiſſima, niſi ſuperbo vertice erecta Altaria, quæ Altare hic vetitum imitarentur (*a*). Quare ſi illum audias, non gradus quicumque vetantur, ſed majori numero, & quam par ſit altiores. Scimus deſtinatum Jovis Sacerdotibus, viris & feminis, Altare habuiſſe ſcalas, quas *Græcas* appellabant, ita aſſeribus clauſas, ut crura, vel pedes aſcendentium non conſpicerentur (*b*). Hujus generis fuiſſe cenſemus gradus qui ad Altaria deducerent, poſtea permiſſos (*c*).

Angelus Iſraelitas in Chananitidem deducturus.

II. Multas Moyſi, dum ſecum in nube verſaretur, Deus præſcripſit leges de mancipiis, homicidio, aſylo, plagio, vulneribus, bove cornipeta, talione, furto, depoſito, fenere, fornicatione, maleficio, cum beſtiis crimine, idololatria, injuria, decimis, primitiis, primoribus natu, carne animalium, judicio, Sabbato, ac de tribus per annum Solemnitatibus

(*a*) De Legib. ritual. l. 2. c. 5.

(*b*) Aulus Gell. noct. attic. l. 10. c. 15. Serv. in 4. Æneid. ver. 646.

(*c*) Vide Calmet. in Exod. xx. 26.

tibus (*a*); de quibus opportunius agemus, cum ad Hebræorum leges ventum erit. Secundum hæc promiſit Deus, ſe miſſurum Angelum ſuum, quo deducente Iſraelitæ terra in hereditatem ſibi aſſignata potirentur. Caverent tamen, ne inofficioſum quid coram eo admitterent; ſed ſummo potius obſequio & amore ipſum proſequerentur, cum nihil ille niſi Dei auctoritate & nomine eſſet acturus. Scirent etiam, eum ita eſſe comparatum, ut non *dimitteret*, ſi delinquentes vidiſſet (*b*). Quod duplici ſenſu explicaretur; ſcilicet, veniam minime dabit, ſi illum offendant; vel e contra, populum non derelinquet, etiamſi contingat ut in ipſum peccent. Promiſſio hæc vulgo accipitur de Meſſia, quem Scriptura *Angelum Teſtamenti* appellat (*c*). Eo ſpectaſſe videtur Apoſtolus de Hebræis in deſerto ſcribens: *Quidam eorum tentaverunt Chriſtum, & a ſerpentibus perierunt* (*d*); inſinuans, Jeſum Chriſtum ipſum fuiſſe Angelum, qui populum deducebat per deſertum. Philo quoque hæc de *Verbo rectitudinis pleno, primogenito filio, qui curam ſacri gregis in ſe recipiat*, interpretatur (*e*). Alii dictum intelligi poſſe de Joſue volunt (*f*), qui Moyſi ſucceſſit in populi præfecturam, nomenque Jeſus, & vivam maxime imaginem Meſſiæ præſetulit. Sunt, qui deſi-

(*a*) Exod. xxi. xxii. xxiii.

(*b*) Exod. xxiii. 20.

(*c*) Malach. iii. 1.

(*d*) 1. Cor. x. 9.

(*e*) De Agricul.

(*f*) S. Juſtin. in dialog. & S. Aug. q. 92. in Exod. Menoch.

deſignatum credant S. Michaelem, putantes ipſius cuſtodiæ commiſſum populum Dei, & prodigiorum, quæ plurima Hebræis militarunt, miniſtrum fuiſſe. Hæc Judæorum quoque ſententia, Angelum illum idcirco appellantium *Metaron*, quod corruptum eſt ex Latino, *Metator*, Dux ſcilicet Caſtrorum, vel Caſtra metans.

Interdictum omne cum Chananæis commercium.

III. Diſtricte etiam præcepit Deus, ut nulla populus iniret cum Chananæis fœdera, quin potius res, populos, idola delerent; in quorum perniciem etiam veſpas ipſe eſſet miſſurus, quibus impia illa gens magna ex parte avitas ſedes deſerere, antequam illic Hebræi perveniſſent, cogeretur (*a*). Significavit præterea, ſe nolle brevi unius anni tempore illos e provincia depellere, ne regio neceſſario cultore deſtituta, ſquallida, & belluis infeſtanda remaneret.

Moyſes Dei leges ad populum refert.

IV. Cum Deus propoſuiſſet Moyſi & Aaroni Decalogum, aliaſque leges mox indicatas, antequam ambo deſcenderent de monte, illas ad populum delaturi, monuit, ut poſt relatas Iſraelitis fœderis conditiones, poſt confirmatum utrinque ſacramento pactum, repeterent montem, comitantibus Nadab, & Abiu, Aaronis filiis cum ſeptuaginta populi Optimatibus, ita tamen, ut ſolus Moyſes montis cacumen aſcenderet, ceteri vero ad montis declivia ſubſiſterent (*b*). Deſcendit ergo Moyſes una cum Aarone, cumque omnia ad populum

(*a*) Exod. XXIII. 28. 18. XXIV. 1.
(*b*) Exod. XIX. 24. XX.

lum retuliſſet, Iſraelitæ una voce dixerunt, ſe legibus a Domino præſcriptis libentiſſime obſequuturos. Hunc populi conſenſum una cum Domini præceptis, fœderiſque conditionibus, in tabulas Moyſes digeſſit, ut maneret rei geſtæ memoria.

Fœdus Deum inter & Iſraelitas initur.

V. Mane alterius diei Moyſes ad montis radices erexit ſive e glebis, ſive ex rudibus lapidibus Altare, eique per gyrum appoſuit duodecim lapidum acervos pro numero Tribuum Iſraelis (*a*). E ſingulis præterea Tribubus ſingulos ſelegit juvenes, viribus, & ſtaturæ proceritate eximios, ut ſinguli pro ſua quiſque Tribu, vitulum in hoſtiam pacificam immolandum adducerent, mactarentque. Nomine Juvenum plures ſacri Interpretes intelligunt majores natu familiarum Iſraelis, ſive Tribuum principes. Ex hoſtiis illis cruoris aliquid ſumens Moyſes in duas partes diviſit; quorum alteram effudit ſuper Altare in medio aſſurgens, alteram vero crateres duodecim, uti credimus, habuerunt, ad aſperſionem populi in ſingulas Tribus ſeorſim. Factum id poſt lectum Librum, in quo deſcriptæ Dei juſſiones, & Iſraelitarum in illas conſenſus; qui quidem liber ſanguine & ipſe inſperſus eſt, Moyſe interim clamante: *Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his*. Moyſes neque mactatorum hircorum meminit, neque aquæ ſanguini admixtæ, neque lanæ coccineæ, neque hyſſopi. Iſta ſupplet Apoſtolus illis verbis: *Accipiens ſan-*

(*a*) Exod. XXIV. 4.

ſanguinem vitulorum, & hircorum, cum aqua, & lana coccinea, & hyſſopo, ipſum quoque librum, & omnem populum aſperſit (*a*): quæ ex majorum traditione, ſive ex Dei revelatione perſpecta habere potuit. Præter vitulos in pacifica ſacrificia oblatos, facile in holocauſta immolati fuerunt & hirci; ſive arietes, de quibus Apoſtolus. Aqua ſanguini in aſperſione adhibendo miſcebatur, ne cruor coagularetur. Confici ſolebat aſpergillum ex ramo hyſſopi, cui in nodum lana coccinea adnectebatur (*b*). Immolatarum victimarum cruor, ex utraque parte effuſus, exhibebat ſolemniſſimum omnium fœdus, uti veterum moribus receptum erat; qua cæremonia ſingulæ partes fidem ſuam obligabant, ſervaturas ſe fœderis partes, ſub capitis ſui, & ſanguinis pœna. Sub hac igitur pœna Tribus, cum ſanguine inſpergerentur, habituras ſe Dominum in Deum, & Regem, promiſerunt. Deus pariter, tametſi immortalis, huic pœnæ obnoxium ſe ſe quodammodo exhibuit, cum dimidium ſanguinis effuſum eſt ſuper Altare, quo ipſe deſignabatur, recipiens, Moyſe intermedio, fidem, & obſequium populi, eique viciſſim ſuam tutelam, & Chanaanitidis poſſeſſionem promittens. Vel potius dicas ea cæremonia Deum præluiſſe emblema mortis Chriſti, qui ſancitum cum Hebræis fœdus tunc demum abſolvit, cum fideles ſuos, veros Abrahæ filios, in cælum, cujus erat imago Chanaanitis, induxit.

VI.

(*a*) Hebr. IX. 19. (*b*) Levit. XIV. 49.

VI. Poſt hæc, Moyſes & Aaron, comitantibus Nadab, & Abiu ac ſeptuaginta populi Senioribus montem aſcenderunt, infra verticem tamen, nomine omnium Tribuum agnituri Dominum in Regem, cui ſolemni fœdere erant obſtrictæ (*a*). Moyſes vidiſſe illos Deum ſcribit; quæ verba nonnulli ad litteram accipientes, putant ſub hominis ſpecie videndum ſe exhibuiſſe Deum (*b*). Malunt alii viros illos vidiſſe quædam tantum divinæ præſentiæ argumenta: quemadmodum vidiſſe nos Solem recte affirmamus, tunc etiam, cum per medias nubes aliquis tantum Solis radius intuentium oculos ferierit. Sed quodnam iſthoc præſentis Numinis ſignum? Facile nitor ille ſapphirinus, de quo Moyſes teſtatur: *Sub pedibus ejus, quaſi opus lapidis ſapphirini, & quaſi cælum cum ſerenum eſt*. Prior tamen ſententia defendens, Deum ſub humana ſpecie viſum, ex eo præferenda videtur, quod de pedibus ejus agatur, quibus ex ſapphiro inſtratum erat pavimentum. Quamvis autem Deum viderint, nullum tamen inde incommodum reportarunt, adeo ut potuerint deinceps non minus, quam prius manducare & bibere, contra receptam vulgo opinionem, neminem viſo Domino vitam ulterius prorogare (*c*).

Moyſes, & Aaron comitantibus populi Senioribus montem repetunt.

VII. Juſſus deinde a Deo Moyſes una cum Joſue montis ſuperiora conſcendere, præcipit ſeptuaginta populi Senioribus, ut conſiſterent, & ſi quid interim controverſiarum inter eos ori-

Moyſes montis altiora conſcendit.

F

(*a*) Exod. XXIV. 9.

(*b*) Janſen. Grot. Menoch. Lyran.

(*c*) Exod. XXIV. 11.

oriretur, ad Aaronem, & Ur deferrent. Progreſſi ambo uſque ad nubem illam lucidam, quæ montis verticem protegebat, manſerunt ibi ſex diebus; die autem ſeptima ad ſuperiora, iterum Dei voce accitus, contendit Moyſes, relictoque eodem in loco, quo antea, Joſue, ſpatio quadraginta dierum, totidemque noctium cum Domino, nube involutus permanſit. Longam toto eo tempore inediam nullo negotio, a Deo confortatus, tulit Moyſes; ſed Joſue alebatur facile fructibus, & aquis ejus montis; ad certam enim altitudinem nec fructus deeſſe, nec aquas in Sinai, tradunt Itinerantes. Docent Judæi, accepiſſe Moyſem per diem ſcriptæ Legis præcepta; per noctem vero traditiones, & Legem oralem. In hanc rem ita ſcribit Maimonides. Tradidit Deus Moyſi Legem ſcriptam, tradidit etiam illi ejuſdem Legis interpretationem. Cum e monte deſcendiſſet, Aaronem convenit, quocum & Legem, & illius interpretationem communicavit. Tum Aaron conſtituit ſe ad dexteram Moyſis, & introducti Eleazarus, & Ithamarus filii Aaronis, ea omnia, quæ Aaron, a Moyſe auſcultarunt. Illis pariter ad dexteram, & ad ſiniſtram Moyſis poſitis, introducti ſeptuaginta Seniores populi, quibus pariter Moyſes ſcientiam hanc ſuam non invidit. Tandem permiſſi ſunt venire quicumque vellent ex populo, ac docente Moyſe inſtructi. Poſt hæc ſcripto Legem Moyſes redegit, expoſitionem menti commendatam retinuit; commendatam; inquam, non ſuæ tantum, ſed & ceterorum, quos inſtruxerat. Ita Hebræo-

bræorum Magiſtri fulcire nituntur ſuas traditiones, quibus ſcatent Libri Talmudici, illis conciliantes Moyſis ac ipſiuſmet Dei auctoritatem. Nos ſcimus vocandi Moyſem in cauſa fuiſſe, ut tabulas lapideas, & præcepta Religionis exercendæ acciperet (*a*); Chriſtum autem in Evangelio Judæorum traditiones non ſemel perſtrinxiſſe.

Tabernaculo conficiendo multa præſcribuntur.

VIII. Mandavit igitur Deus, ut pro Tabernaculi, ſive regii ſui Tentorii conſtructione indiceret populo ſpontaneas auri, argenti, æris, hyacinthi, purpuræ, biſſi, pellium, lignorum, aliarumque rerum neceſſariarum oblationes. Hujus autem Tabernaculi, ſicut, & Altarium, Menſæ panum propoſitionis, Arcæ, Candelabri, omnium utenſilium, quin & veſtium tum Sacerdotum, tum Summi Pontificis, ideam omnem tradidit. Capitationem in commodum ejuſdem Tabernaculi indixit. Ritum etiam præſcripſit, quo Sacerdotes initiandi erant; varia hoſtiarum genera, atque thymiamatum, tum & rationem illa offerendi deſignavit. Beſeleelem vero filium Uri, nepotem Hur ex Tribu Juda, & Ooliabum filium Achiſamech ex Tribu Dan, quos incredibili metalla elaborandi, & quælibet in mechanicis inveniendi ſcientia inſtruxit, perficiendis operibus elegit. Inculcata tandem etiam atque etiam Sabbati religione, Tabulas digito ſuo ſcriptas, in quibus Decalogus legebatur, tradidit (*b*). Cum traderet autem, ſignificavit, populum

F 2 mox

(*a*) Exod. xxiv. 12. xxvii. xxviii. xxix. xxx.
(*b*) Exod. xxv. xxvi. xxxi.

mox ab Ægypto opera ſua eductum, cito nimis beneficiorum, atque præſtitæ ſibi fidei oblitum, vitulo Numinis cultum exhibuiſſe.

Populus vitulum adorat. IX. Igitur cum populus diuturnam adeo Moyſis abſentiam ægre pateretur, tumultuoſe Aaronem adeuntes: *Fac nobis*, inquiunt, *deos, qui nos præcedant* (*a*): Moyſes enim evanuit, & quid de illo factum ſit, penitus ignoramus. Aaron his commotus, uxorum, natorumque inaures deferendas imperavit, allataſque in expanſam veſtem excipiens (*b*), ex ea in fornacem projecit, & ex liquatis vitulum aureum efformavit. Viſo vitulo ſtatim impii: *Iſti ſunt dii tui, Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti*. Tum Aaron coram illo Altare excitavit, celebrandoſque Numinis honores indicens, præconis voce proclamavit: *Cras ſolemnitas Domini Jehova eſt*. Mane igitur alterius diei holocauſta, & hoſtias pacificas vitulo offerunt, ſacrificiorum pompam, conviviis, muſicis inſtrumentis, concentibus, ludis, choræis augentes.

Apis Ægyptiorum Numen in vitulo colitur. X. Eo autem vitulo cultum Ægyptiorum erga Apidem imitari voluiſſe Hebræos, tam certum eſt, quam quid aliud. Apidem colentes vetuſtiores Ægyptii, taurum vivum, vegetemque, non ejus ſimulacrum, aut vituli caput, hominis trunco impoſitum, adorabant. Hiſce autem characteribus bovem agnoſcebant, quem ſibi Numen eligerent. Ater totus, albenti tantum, & quadrata macula in fronte di-

(*a*) Exod. XXXII. I. XXXII. 4.
(*b*) Calmet in Exod.

diſtinctus. Exhibebat in dorſo pictam aquilam, vel ut alii ferunt, cornutam Lunam. In cauda ſetæ erant duplicatæ: bubo expreſſus ſub lingua. Inventum non ſine magna difficultate, ingenti feſto ad Oſiridis Templum deducebant, ubi totam Numinis majeſtatem ſuſtinebat. Seneſcentem fonte immergebant, & ingenti luctu totam late implebant Ægyptum, donec alterum illi ſimilem invenirent. Oſiris, cui Iſidem uxorem dant, tranſmutatus dicebatur in bovem. In Oſiride Marshamus agnoſcit Cham, Voſſius vero Mizraim Chami filium, Ægyptiorum auctorem. Quidam Joſephum, celebrem Ægypti Salvatorem, præferunt. Solem malunt nonnulli. Docet Philo, Iſraelitas tunc adoptaſſe cultum Typhonis (*a*); ſed error eſt illi Scriptori familiaris, ut Typhonem cum Oſiride confundat. Porro Typhon exprimebatur imagine Hippopotami, non bovis; atque horrori erat Ægyptiis, non venerationi.

Quænam vituli forma. Aaronis crimen.

XI. Patres non pauci de hoc vitulo agentes, caput tantum bovis ab Iſraelitis conflatum aſſerunt (*b*). Profecto poſterioris ævi Ægyptii non aliter ſibi numina efformabant. Jovi Ammoni apud illos caput erat arietis; Anubi, canis: Iſidi, vaccæ; Apollini, accipitris; Minervæ, felis. An autem hæc tunc etiam viguerint, cum ex Ægypto Iſraelitæ pedem referrent, incertum. Moncæus in ſuo Aarone purgato, qui Romæ proſcriptus fuit, con-

(*a*) De vita Moyſ. l. 3. Hieron. Ambroſ. Optat.
(*b*) Lactan. Tertull. Iſidor.

contendit, hanc vituli ſimilitudinem ab Aarone expreſſam fuiſſe ad effingendos Cherubinos, quibus, uti quidem ille putat, Dominus inſidebat, cum in monte coram Moyſe, Aarone, filiiſque, ac ſeptuaginta Senioribus ſpectandum ſe præbuit. Porro Cherubini illi, ſi Auctori fides, boves exhibebant alatos, ad quorum ſimilitudinem & ipſe Moyſes Cherubinos Propitiatorii deinde efformavit. Aaronis autem crimen, ait, illud eſt, non quod Cherubinos in obſequium Dei manentes expreſſerit, ſed quod ea occaſione idololatrandi materiam populi rudi, & ad tale ſcelus propenſo, præbuerit. Ceterum poterat populus, addit ille, coram ejuſmodi vitulo Deum verum adorare, quemadmodum coram Cherubinis illum, prius in Tabernaculo, deinde in Templo, coluit; ſed cultum Dei veri in creaturam transferens, Religionem in crimen convertit. Paria habet de vitulis aureis ab Jeroboamo excitatis. Opinio ſane ſingularis, quæ merito plurimos nacta eſt adverſarios. Porro Deum Cherubinis inſidentem in monte Sinai apparuiſſe gratis prorſus aſſeritur. Voſſius pariter cenſet, Aaronem verum Deum populo adorandum propoſuiſſe, non quidem ſub Cherubinorum, ſed ſub deorum Ægyptiorum effigie; in quo totum illius ſcelus conſtiterit. Lyranus tradit, idcirco Aaronem dixiſſe: *Cras ſolemnitas Domini eſt*; quod ſperaret, Moyſem quamprimum rediturum ad cultum idoli in Domini feſtum commutandum. Alii tandem malunt, Aaronem futurum crediſſe, ut verus Dei ſpiritus in eam imaginem deſcenderet,

ſicut

ſicut de falſorum Numinum ſpiritibus idololatræ ſentire conſuevere. Sed abſit, ut tanta inſania virum illum laboraſſe credamus. Aaron verbis illis hæc facile innuere voluit: Cras vitulo feſtum agetis, quem vobis pro vero Deo conſtituiſtis. Ad Judæos quod ſpectat, multis equidem ſedit opinio, ſub deorum nomine nil aliud illos poſtulaſſe, quam verum Deum, quocum, conciliante Moyſe, fœdus iniverant (*a*). Nunquam in mentem ſibi inducere potuerunt Auctores illi, ut crederent, Hebræos recens inſculptam beneficiorum Domini memoriam obliteraſſe, ſibique perſuaſiſſe, Numinis majeſtatem ſuſtineri poſſe a vitulo. Abſurda tamen hæc facile non obſervabant Iſraelitæ, qui in Ægypto ſplendidas Apidis cæremonias, & honores admirati fuerant, & nonnihil etiam imitati. Ut ut res habuerit ſe ſe, & populus peccavit, & Aaronis imbecillitas, atque remiſſio animi in re tanti momenti nulla excuſatione minui poteſt. De Apide Ægyptiorum Numine plura apud Scriptores prophanos invenias (*b*). Hiſtoriam adorati vituli diſſimulat Joſephus, gentis ſuæ parcens pudori; ejuſque invidia raros aliquos homines levioris ingenii onerat Philo (*c*). Sed hæc Scripturæ repugnant, crimen illud populo univerſo deputanti.

(*a*) Menoch. Cornel. a Lap. Epiſcop. apud Spencer. l. 1. de Legib. Hebr. ritual.

(*b*) Herodot. lib. 3. c. 28. Plin. l. 8. c. 46. Porphir. de abſtin. l. 2. Strab. l. 17. Mela l. 1. c. 8.

(*c*) De vita Moyſ. l. 3.

Moyſes Deum orat, Tabulas Legis confringit, vitulum evertit, ſontes punit.

XII. Moyſi, de admiſſa ab Iſraelitis idololatria admonito, adjecit Deus, ſe, ni ipſius precibus impediretur, populum duræ cervicis deleturum, ipſum autem ducem, vel patrem alterius gentis & quidem frequentiſſimæ, conſtituturum. At Moyſes coram Domino proſtratus, commemoratiſque prodigiis, quibus populum ſuum proſequutus fuerat, ingeſtis etiam promiſſionibus olim ab eo factis de danda Abrahami, Iſaaci, & Jacobi poſteris Chanaanitide, ac tandem propoſito ſuo timore, ne ſcilicet Ægyptii ore blaſphemo Deum lacerarent, quaſi populum ſuum dolo malo eduxerit ex Ægypto, ut montibus interceptos neci traderet, aut ſaltem in terram illis promiſſam deducere non potuerit; veniam pro ſuis rogavit. Deus autem roganti nequaquam inexorabilem ſe oſtendens, juſſit, quantocius in caſtra rediret (*a*). Cum deſcenderet de monte una cum Joſue, hic audire ſe dixit in caſtris quaſi bellantium clamores; cui Moyſes: non ſunt, ait, clamores populi victoris, ſeu militum hortantium ſe ad prælium, neque etiam fractorum hoſtium, quos victores premant; ſed cantilenæ gaudii, & lætitiæ. Cum autem in caſtrorum conſpectum jam veniſſent, viſo vitulo, ac ludentium choræis, Moyſes adeo excanduit, ut projectis ad radices montis Decalogi tabulis, confractiſque, ad idolum convolans ipſum everterit, liquandum igni commiſerit, liquatumque redigerit, mordente facile lima, in pulverem; quam aqua com-

(*a*) Exod. XXXII. 9.

commixtam Iſraelitas haurire coegit. His plane Moyſes cultum Apidis de ridiculo traducere meditabatur. Nefas erat apud Ægyptios mactare, ſeu vorare aliquod ex animantibus, a bove præſertim, Apidem referente, abſtinentes, quem fonte immerſum ingenti ejulatu deflebant. Tentata a Moyſe, ſpectante impune, & ferente illo Numine, ſatis videbantur ad avertendam ingentem illam conceptam a populo de Apide opinionem. Cum Aaronem verbis acribus Moyſes caſtigaſſet, quod populo eo uſque indulſiſſet, Aaron pro viribus factum excuſans, in Iſraelitarum pervicaciam crimen regerere conabatur. Videns autem Moyſes crimine cenſecrati vituli Hebræos nudatos fuiſſe Dei auxilio, omnique ope deſtitutos, ac maxima ignominia notatos, ſtans in aditu caſtrorum, omnes qui Dei ſtudio tenerentur, ut ſecum venirent, invitavit. Congregatis ad ſe filiis Levi, præcepit, ut omnes ſtricto enſe per media caſtra diſcurrentes, obvios quoſcunque culti vituli reos, fratres, amicos, conſanguineos trucidarent. Quibus ab illis executioni mandatis, 23. m. hominum cæſa ſunt, vel ut Hebræus, Sammaritanus, ac plures Verſiones habent, tria tantum millia. Sed qui criminis rei dignoſcebantur? Reponunt quidam ex Rabbinis, pulverem comminuti vituli in torrentem Horeb Moyſem projeciſſe; quas deinde aquas quicunque rei commiſſi criminis bibiſſent, ea in ſe expertos fuiſſe, quæ feminæ adulterii reæ ex hauſtis zelotypiæ aquis. Ulceribus enim fœdis ſcaten-

tes;

tes, eo indicio a Moyſe agniti, morti ſubjiciebantur (*a*). Volunt alii (*b*), ex auratis illis aquis infectam aureo colore barbam iis, qui in propugnando ſcelere ardentiores ceteris fuiſſent. Nos utramque opinionem reſpuentes, putamus, divinæ juſtitiæ rigorem, occulta quadam & mortalibus omnibus ignota vi, Levitarum ferrum in eos impuliſſe, qui perpetrati criminis rei magis haberentur. Utcunque diſcretio illa facta fuerit, Moyſes Levitas haud illaudatos reliquit: Quod demonſtraſtis, inquiens, hac occaſione ſtudium, & ardorem in effundendo ſanguine vel fratrum veſtrorum, anticipata quadam initiatione manus veſtras conſecravit, vobiſque ad optima quæquæ bona obtinenda viam ſtravit.

Poſt impetratam populo veniam, ac poſt viſam Dei gloriam, novas Decalogi Tabulas ore coruſcante Moyſes ad populum defert. Donaria, & bemiſicli capitatio pro Tabernaculi conſtructione.

CAP. VII.

Moyſes veniam populo expoſcit.

I. MAne alterius diei granditate admiſſi criminis çoram populo exaggerata, iterum ſe Moyſes in montem reſtituit; ubi Dominum pro popolo orans, ait: *Aut dimitte illis hanc noxam; aut, ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti* (*c*). Pluribus perſuadetur,

(*a*) Apud Moncæum. diis Syr. Syntag. 1. c. 4.

(*b*) Petrus de Riga in autora apud Seldenum de

(*c*) Exod. XXXII. 31.

detur, ſermonem hic eſſe de vita, qua mortales omnes vivimus; quaſi peteret Moyſes: Si decretum eſt tibi delere populum, eodem me ac illum excidio obvolve; libens enim remitto datam mihi fidem tuam, futurum ut conſtituar pater maximæ gentis. Nonnulli interpretantur dictum de libro Prædeſtinationis, velut ſi conſentiret Moyſes in reprobationem ſuam, negante Deo veniam populo. Sed vota hæc ſunt ultra jus, & fas. Quare dicendum eſt, vel Moyſem ita loquutum eſſe per exaggerationem, ut validius illud exponeret, quo tenebatur, extremum deſiderium ſalutis populi ſui; vel quod firmiſſima ſpe crederet, nunquam commiſſurum Deum, ut decretum Prædeſtinationis ſuæ mutaret. Oranti Moyſi Deus reſpondit, repoſciturum ſe pœnas ab iis, quorum criminibus offenſus fuiſſet; deduceret ipſe, interim populum ſuum in Terram promiſſionis, ſub Angeli tutela; nolle ſe ducem in eo itinere præſtare, ne ſceleribus populi provocatus, omnes traderet exterminio.

Tabernaculum Fœderis extra caſtra transfertur, ubi Deus facie ad faciem Moyſem alloquitur.

II. Dei verbis ad populum per Moyſem delatis, omnes deſpondere animis, inque luctus & pœnitudinis argumentum, veſtium, armorumque ornamenta ad radices Horebi depoſuerunt (*a*). An vero deinceps reſumpſerint, tacente Scriptura, ignoramus. Salutari huic pavori promovendo Tabernaculum ſuum, vel, ut alii volunt, Tentorium omnibus commune, ad cogendos cœtus deſtinatum, Moyſes ex-

(*a*) Exod. XXXIII. 4.

extra caſtra tranſtulit; quo & columna nubis abſceſſit. Poſt compoſitum populi cum Deo fœdus, omnium primum erectum fuerit ejuſmodi Tabernaculum; qua de cauſa, inquit Tirinus, *Tabernaculum Fœderis* dictum eſt. Hic jus Moyſes dabat populo, qui converſo ore ad illud Tentorium, adorabat Dominum, cujus Numen ibi ſentiebatur per columnam, ex qua Deus cum Moyſe *facie ad faciem*, ut ſolet amicus cum amico, verba miſcebat (*a*). Autumarunt nonnulli quoddam humanæ imaginis ſpectrum cum Moyſe tunc loquutum (*b*). Alii certant pro conſuetudine illa Dei cum Moyſe, qua intimas voluntates ſuas clara voce ipſi pandebat, abſque ænigmatum, & figurarum ambagibus, ac per ſe nemine intermedio; contra ac fieri ſoleret cum populo, vel etiam Prophetis Deus loqueretur. Tabernaculi illius cuſtodia uni Joſue credita erat, qui ejus loci curam maxime tunc gerebat, cum Moyſes in caſtra ſe conferret.

Moyſes videre cupit Dei gloriam.

III. Occaſione continui colloquii Dei, quo Moyſes in Tabernaculo fruebatur, rogavit Donum, ut gratiæ, & favori, quo habebat ſe in amicorum numero, id etiam adderet, ut ipſe ſe populi Ducem in itinere exhiberet, nec rem totam, ut minitatus fuerat, Angelo, adhuc ſibi plane ignoto, committeret. Reſpondit Deus, velle ſe morem illi gerere, ac populum in certas fixaſque ſedès ſe ipſo deducere. His Moyſes confidentior factus, iterum rogavit, ut *faciem*, ſive *gloriam ſuam* revelaret

(*a*) Exod. XXXIII. 2. (*b*) Menoch. Cornel.

ret (*a*). Varii varie hæc interpretantur; ſed nihil aliud fortaſſe Moyſes poſtulabat, quam ut nebula illa diſſipata, ex qua Dei verba auſcultabat, quæ Numen proſequeretur, gloriam & apparatum oſtenderet. Cui Dominus: Ego quidem omni circumdatus gloria ante oculos tuos tranſibo, inque argumentum meæ præſentiæ pronunciabo coram te ſacrum nomen meum Jehova, efficiamque ut cognoſcas, me cujus maxime libuerit, miſereri: verum faciem meam, dum adhuc mortalis es, videre non poteris. Hæc tamen indulgeo: cum montem aſcenderis, intra petram illam te recipito, ex qua pluries verba amica tibi feci; ego vero pertranſiens protegam te nube, atque manum meam in te extendam, ne nimio majeſtatis meæ fulgore corripiaris: ſtatim ac pertranſiero, nubem illam ſubducam; eoque ceu velo reducto, tum & amota manu mea, abeuntis terga ſpectabis. Præcepit deinde, ut mane diluculo alterius diei ſolus aſcenderet in montem, remotis omnibus, nedum hominibus, ſed & animantibus, ſecumque deferret novas tabulas lapideas, in quibus ex integro Decalogus deſcriberetur.

Deus dotes ſuas manifeſtat Moyſi, qui ore coruſcans ad populum revertitur.

IV. Paratis ergo tabulis montem tenuit Moyſes, cumque ex condicto ſubiiſſet antrum, tum deſcendentem nubem ſpectavit, exlamavitque: *Dominator Domine* (Hebræus Jehovah Jehovah) *Deus miſericors, & clemens, patiens, ac multæ miſerationis, & verax; qui cuſtodis miſericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, &*

(*a*) Exod. xxxiii. 18.

& ſcelera, atque peccata, nulluſque apud te per ſe innocens eſt: qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam, & quartam progeniem (*a*). Hæc quidem Vulgata tribuit Moyſi; ſed Hebræus & optimi quique Interpretes, Deum ea de ſe loquentem inducunt; idque poſtulat data ſuperius fides, qua Deus ſe ſe obſtrinxit, pronunciandi ſcilicet per ſe coram Moyſes auguſtum nomen ſuum Jehovah, magnificandique ſimul miſericordiam ſuam. Moyſes pronus in terram, ad priores preces rediens, poſtulavit, ut ducatum populi, quamvis rebellantis, ipſe in ſe reciperet, ſuaque in clientela Iſraelitas tenere proſequeretur. Reſpondit Deus, renovaturum ſe fœdus cum populo, editurumque præterea tot, tantaque pro Hebræis prodigia, ut qui ea viderint, in ſtuporem rapiantur. Exactis deinde in monte quadraginta diebus, ſine cibo, & potu, reductiſque in memoriam eo temporis intervallo variis legibus antea jam præſcriptis, ac Decalogo in tabulis lapideis, ſive a ſe, ſive ab ipſo Deo, uti nonnulli cenſent (*b*), iterum deſcripto, ad populum, omnia tandem delaturus, deſcendit. Verum cum ex Domini conſortio tantum oris fulgorem hauſiſſet, ut intuentium oculos perſtringeret, eum terrorem in Aaronem, ceteroſque Iſraelitas injecit, ut niſi ab eo poſt obductum velo vultum confirmati, ipſum aſpicere non auderent. Expoſitis deinde divinis juſſionibus animum adjecit Moy-

(*a*) Exod. XXXIV. 7. XXXIV. 1.
(*b*) Calmet in Exod.

Moyſes efformando Tabernaculo juxta ideam, quam Deus in monte exhibuerat.

Donaria pro Tabernaculo ſponte oblata.

V. Ore igitur præconis populum invitavit, ut ſi quæ haberet pretioſa metalla, gemmas, ligna, aromata, oleum, linum, lanam, pelles, in uſum Tabernaculi conferret (*a*). Ad pium opus tantus rerum concurſus factus eſt, ut Moyſes a Beſeleele, & Ooliabo, operi præfectis, monitus, ne aliud ultra offerretur, indicto per præconem præcepto, vetuerit. Porro aurum ex illa ultronea oblatione congeſtum æquabat 29. talenta, & 730. ſiclos; ingens ſane pro rerum circumſtantiis ſumma (*b*).

Judæorum capitatio.

VI. Præter donaria a ſingulis ſponte oblata, ſingulis Iſraelitis indictum antea tributum dimidii ſicli, ut tunc perſolveretur, Moyſes præcepit (*c*). Ex Interpretibus quidam defendunt, capitationem illam pro una tantum vice, occaſione ſcilicet Tabernaculi erigendi, imperatam fuiſſe. Malunt alii, ipſam generali lege indictam fuiſſe in commodum Tabernaculi, Templi, & ſacrorum Miniſtrorum, quam ſolvere cogerentur Hebræi, quoties cenſus inſtitueretur. Perſuaſum eſt aliis, conſtitutum fuiſſe tributum viritim ſolvendum a populo quotannis. Conſtat utique ætate Chriſti hemiſiclum ſolvi conſueviſſe Templo (*d*). Veſpaſianus autem præcepit Judæis poſt Templi everſionem, ut quod olim tributum offerebant Templo, inferrent in Capitolium (*e*).

Ut-

(*a*) Exod. XXXV. 4. XXXVIII. 25.
(*b*) Exod. XXXVIII. 24.
(*c*) Exod. XXX. 12. &
(*d*) Matth. XVII. 23.
(*e*) Xephilin. in Veſpaſ.

Utcunque res habuerit ſe ſe deinceps, primæ illi hemiſicli exactioni curandæ, cenſus totius populi ſupra annum ætatis vigeſimum inſtitutus eſt; in quo 603550. capita, armis ferendis non imparia numerata ſunt, ac collecta ſumma 1775. ſiclorum ſupra 100. talenta argenti. Demonſtratur hic æſtimatio talenti, quod ex æquo reddebat ter mille ſiclos; cum enim 603550. hemiſicli conficerent 301775. ſiclos, e 300000. ſiclis reddita ſunt 100. talenta, 3000. ſiclorum in ſingula (*a*). Manus admota fuit fabricando Tabernaculo, iiſque omnibus, quæ ad ipſum pertinebant, circa ſextum menſem ab exitu ex Ægypto, abſolutumque eſt opus exeunte priore hoc anno. Hic opportune Tabernaculum, & omnia quæ ad illud pertinent, deſcribenda ſunt.

Deſcriptio Tabernaculi, Arcæ, Tabularum Legis, Cherubinorum, Menſæ panis propoſitionis, Candelabri, Altarium, Labri. Agitur & de cultu aſinino, Judæis falſo imputato; de ratione conficiendi thimiamatis, & de mulieribus ante Tabernaculum excubantibus.

CAP. VIII.

Idea Tabernaculi a Deo exhibita.

I. Tabernaculi, quod græce *Scene*, hebraice *Ohel* appellatur, modulum exhibuit Deus menti, aut oculis Moyſis, dum ille ſecum in Monte Sinai verſaretur (*b*). His por-

(*a*) Exod. XXXVIII. (*b*) Exod. XXV. 9. 25. 27. &c.

porro revincitur Spencerus, cui Tabernaculum eſt purum putumque imitamentum cultus, quem Numinibus ſuis impendebant Ægyptii, & paganæ reliquæ gentes. Difficile enim fuiſſet, ne dicam impoſſibile, populo univerſo ingerere tanquam quid novum, & cælitus commonſtratum, quod ſibi in Ægypto continuo fuiſſet in oculis. Idem dicas & de reliquis, ad ipſum Tabernaculum ſpectantibus, Arca, Cherubinis, Menſa, Altari.

II. Tabernaculum opere quadrato, productiori tamen conſtabat, 30. cubitis in longitudine, & decem in latitudine, totidemque in altitudine. In duas partes diſtribuebatur; quarum prima *Sanctum* dicta, 20. cubitis in longum extendebatur. In ea Menſa panum propoſitionis, Candelabrum, & Altare thymiamatis. Altera pars reliquos decem cubitos in longitudinem occupabat; dicebatur *Sanctum Sanctorum*, ſive Sanctuarium; iſque erat locus Arcæ deſignatus. *Tabernaculi diviſio in Sanctum, & Sanctuarium.*

III. Sanctuarium a Sancto velum pretioſum intermedium, quatuor columnis appenſum, dividebat. Præ foribus Sancti velum aliud quinque columnæ ſuſtentabant. Ab Occidente, Septentrione, & Meridie parietes Tabernaculi aſſeribus conſtabant. Omnibus æqua menſura, nempe 10. cubitorum altitudinis, & cubiti ac dimidii latitudinis; ſingulæ autem in utraque extremitate mutuo nexu copulabantur. Cum vero totum opus loco amoveri deberet, ideo ſingulæ tabulæ duabus inſerebantur baſibus, continendis autem ſingulis in of- *Tabernaculi materies.*

ficio,

ficio, quinque per omnes latus annuli aurei, certo ordine erant diſpoſiti, in quibus vectes inſererentur. Porro columnæ, aſſeres, & vectes ex ligno Sethim conſtabant, erantque omnes deauratæ, hoc eſt, aureis laminis obductæ; neque enim tunc temporis ars illa tenuiſſimis auri foliis, ſeu liquido auro res obliniendi, adhuc inventa erat. Quodnam autem arboris genus ligna Sethim referrent, non convenit inter Doctores, reddentibus aliis Imputribile, aliis Buxum, allis Hebenum, aliis Cedrum, aliis Spinam albam, aliis Acaciam nigram, quæ familiaris eſt in Arabia, ubi Moyſes verſabatur; firma autem adeo & ſolida, ut corruptionem ferme reſpuat, atque ita procera, ut in aſſeres 12. cubitorum cædi valeat. Quatuor columnarum ad Sanctuarii ingreſſum, omniumque aſſerum baſes ex argento erant conflatæ; ſed quinque aliarum columnarum, quæ ante Sanctum erigebantur, ex ære. Omnium denique columnarum epiſtylia auro ſolido nitebant. Ferunt multi, per columnas illas excurriſſe ſpirali amplexu, ſive in cocleæ modum, laminas argenteas; niſi malueris cum aliis, circulis vel annulis argenteis per æqua intervalla aliis ſuper alios diſpoſitis fuiſſe diſtinctas (*a*).

Velamina quibus Tabernaculum protegebatur.

IV. In Tabernaculum nullus Soli aditus. Variis operiebatur velis, ſive integumentis: primum, & pretioſiſſimum purpura, hyacintho, coccoque nitens: alterum ex caprarum villis contextum: tertium ex arietum pellibus cum

(*a*) Exod. XXVI. 32. 37. & XXXVIII. 28.

cum vellere rubeſcentibus: quartum ex iiſdem pellibus cæruleo colore ſaturo imbutis. Duo illa velamina, quæ intimius ædem protegebant, ad terram uſque cubito altius pendebant, ne pulvere corrumperentur; ſaga vero velaminibus hiſce ſuperexpanſa, cubitum etiam illum occupabant, totumque undique obvolvebant Tabernaculum, ſi anteriorem ejus partem excipias, ubi velum alterius operis, columnis appenſum, occurrebat (*a*).

Atrium Tabernaculi.

V. Circa Tabernaculum Atrium regnabat, ſtructura quadratum quidem, ſed productum, longitudine 100. cubitorum, latitudine 50. Totum ſpatium ambiebant columnæ æneis baſibus impoſitæ, quarum epiſtylia, & annuli, ſive ſpiræ, illas ambientes, argento nitebant. Ad latus occidentale 10. columnæ, ad Septentrionem vero, & Meridiem 20. utrinque ſpectabantur. E columnis vela pendebant in cortinæ modum, perpetuo ductu ex lino tenui, ſive goſſypio contexta. In medio orientalis lateris aditus patebat 20. cubitis productus. Ad utrumque ſpatii illius latus tres ſpectabantur columnæ, quæ vela aliis columnis communia ſuſtinebant. Præter ſex haſce columnas, quatuor etiam in aditu, ſive veſtibulo occurrebant, ex quibus velum pretioſius ex hyacintho, & purpura, opere polymito contextum, dependebat. Porro columnarum & velorum altitudo mutuo reſpondebat, quinque ſcilicet cubitis definita. In eo Atrio, e re-

(*a*) Joſeph. lib. I. antiq. c. 5. Philo di vita Moſ. Exod. XXVI. 13.

regione Tabernaculi, conſtitutum Holocauſtorum Altare. Piſcina etiam in uſum Sacerdotum poſita. Eo uſque Laicis aditus, deducendis ad Altare hoſtiis, permiſſus.

Quem locum circa Tabernaculum Tribus haberent.

VI. Is erat Tabernaculi ſitus, ut veſtibulum ad Orientem, Sanctuarium ad Occidentem, duo latera ad Septentrionem, & Meridiem ſpectarent. Hic autem veluti ædes Dei Iſraelitarum Regis, in medio Caſtrorum habitantis, habebantur. Circum ſingulæ Tribus ſuo ordine diſpoſitæ: Juda, Zabulon, & Iſſachar ad Orientem: Ephraim, Beniamin, & Manaſſe ad Occidentem: Dan, Aſer, & Nephtali ad Septentrionem; Ruben, Simeon, & Gad ad Meridiem (*a*). Tribus Levi Dei obſequiis, Religioniſque exercitiis addicta, propius quam ceteræ Tribus, Tabernaculum ſtipabat, ac circa illud ita ſuum habebat locum, ut Moyſis & Aaronis familiæ Orientem, Gerſon Occidentem, Caath Meridiem, Merari Septentrionem tenerent; omnes enim poſteri Levi per Gerſon, Caath, & Merari propagati ſunt. Moyſes tamen, & Aaron, quamvis genus ſuum ex Caath referrent, ex ſpeciali tamen prærogativa peculiarem locum, præcipuumque circa Tabernaculum habebant.

Arca.

VII. Arca quoddam erat ſcrinium ex ligno Sethim compactum, aureis intus, & foris laminis obductum. Duobus cubitis cum dimidio in longum extendebatur, uno autem cum dimidio tam in altum, quam in latum. Coronula aurea perpetuo gyro in ſummitate nitebat.

(*a*) Num. 11. 2.

bat. Duobus lateribus duo annuli utrinque prominebant inſerendis vectibus, quibus in itinere deferretur. Arcæ operculum ex ſolido auro conſtabat, cui paſſim nomina *Propitiatorium*, & *Oraculum* tribuuntur. Propitiatorium quidem, quod ibi Deus preces ſuſciperet; Oraculum vero, quod Dei voluntates & conſilia Moyſi, & ſummo Sacerdoti inde paterent.

VIII. In utroque ejuſdem Arcæ extremo, duo ex auro fuſo ſolidoque erant Cherubim, qui tegebant Arcam, alas habebant extenſas, reſpiciebantque ſe mutuo verſis vultibus in Propitiatorium. Ambigua hæc, & incerta, quam Scriptura ingerit nobis de Cherubinis deſcriptio, ideas inter ſe longe varias Scriptoribus ſuppeditavit. Alatos pueros pingunt nonnulli, quorum alæ anterius extantes, contra ſitum, quem tenent in avibus, ſuper Arcam ſimul coeuntes, certa quadam altitudinis proportione, ceu thronum, aut ſedem Dei exhiberent, cujus ſuppedaneum Arcæ operculum eſſet. Eo deflectunt illud: *Qui ſedes ſuper Cherubim*. Aliis mera ſunt capita, ſex habentia circum alas ita protenſas, ut ſupra Propitiatorium jungerentur. Cherubim, quos deſcribit Ezechiel, habebant ſimul collecta Hominis quædam, Aquilæ, Bovis, & Leonis. Rem attingeret, ſi quis in eodem ſimulacro exprimeret vultum hominis, jubatos leonis humeros, crura & pedes bovis, alas aquilæ.. Vel dicas, juvenes fuiſſe; quorum expreſſa erat in capite ſimul facies hominis, bovis, & leonis ad tria latera; eminebatque aquilæ roſtrum in *Cherubini.*

galeæ modum ſupra cetera aſſurgens; ac inter humeros, & ſcapulas ſurgebant alæ. Ægre crederemus juxa hunc modulum Cherubini Arcæ inſidentes, expreſſos fuiſſe. Quoties enim Scriptura de Cherubinis agit, videtur exhibere inſuetas quidem imagines ex pluribus conflatas, & ſymbolicas, ſed non uniformes (*a*); quas merito appellaremus monſtra, ſphynges, ac mentis deliria, niſi exhibita illa rerum varietas inſtruendis hominibus aptum aliquid deſignaſſet. Alis, Angelorum agilitas exprimitur; figura Hominis, amor, & miſeratio; Leonis, vigor & majeſtas; Bovis, patientia & conſtantia; Aquilæ, ſublimitas & contemplatio. Ægyptii totam ferme Religionem ſuam habebant ſymbolicam & myſticam, variiſque animalium figuris expreſſam, ut in ipſorum, qui ſuperſunt, Obeliſcis videre licet. Legiſlator facile indulſit genio Iſraelitarum, recens ex Ægypto venientium, dum aliquam ſaltem veræ Religionis partem ſignis & emblematis traderet.

Arcæ ſedes.

IX. Poſt Jordanis tranſitum Arca diu in Urbe Galgalis detenta eſt, donec in Silo tranſferretur. Hinc delata per Iſraelitas ad exercitum, a Philiſtæis capta eſt; ſed mox ab illis reddita, quod infeſtam ſibi ſentirent, in Chariathiarim manſit. Conſtat deinde ſub Saule in urbe Nobe ſubſtitiſſe. David e Chariathiarim ad domum Obededom primo, deinde in domum ſuam

(*a*) Exod. XXVI. I. E- VI. 23. Apoc. V. 8. Iſai. zech. I. 5. & X. 20. 3. Reg. V. 2.

ſuam in monte Sion tranſtulit. Tandem Salomon in Templo collocavit. Piis Juda Regibus idololatræ ſuccedentes in ipſa ejus ſede prophanorum Numinum ſtatuas erexerunt. Quamobrem Sacerdotes de loco in locum deportarunt, prout ſacrilegorum Regum furorem declinandi, aditus patebat. Joſia regnante iterum ſuis ſedibus reſtituta eſt, vetitumque, ne alio aſportaretur (*a*). Attamen aliquanto ante captivitatem, Jeremias ſuæ gentis ærumnas prænoſcens, Arcam e Templo ſubducens, in ſpecu abdidit eo in monte, quem Moyſes moriturus aſcenderat. Hunc Sacerdotes, Prophetæ comites, ſigno aliquo notare volentes, nunquam deinde reperire potuerunt. Quare Jeremias eos curioſitatis objurgavit, addiditque, futurum, ut locus ignoraretur, *donec congregaret* Deus *congregationem populi*, *&* *propitius fieret* (*b*). An autem poſt captivitatem reperta fuerit, ignotum. Qui negant, nobis idem ſentientibus, verba Jeremiæ allegorice de Chriſto, & Eccleſia, per Arcam exhibitis, interpretantur.

X. In Arca Tabulæ, quibus Decalogus erat inſcriptus, recondebantur; qua de cauſa *Arca Fœderis* appellata fuit. Præter illas tabulas, Moyſes pariter ibi recondidit Aaronis virgam, quæ flores emiſit, & Gomor manna, in deſerto collecta, plenum (*c*). Auctor tamen Libri tertii Regum aſſerit, nihil recondi in Ar- *Res in Arca contentæ.*

G 4 ca,

(*a*) 2. Paral. xxxv. 3. Exod. XVII. 33. Hebr.
(*b*) 2. Macch. II. 7. IX. 3.
(*c*) Num. XVII. 10.

ca; niſi tabulas Legis (*a*). Nonnulli hanc apparentem antilogiam conciliaturi, Gomor, & Virgam non quidem in Arcam illata, ſed juxta illam poſita fuiſſe, putant. Sed dicere poſſemus, olim quidem ab origine nihil aliud continuiſſe, & ad hoc unice deſtinatam fuiſſe, ut reconderet Tabulas; his tamen minime prohiberi, quin ſucceſſu temporis aliquid aliud in illam illatum fuiſſe, reputemus.

Tabulæ Legis ex utroque latere ſcriptæ.

XI. De Tabulis Legis plura in quæſtionem vocantur. Ad decem uſque dinumerant quidam Auctores Orientales, ſed ceteri duas tantum aſſignant. Sunt qui ligneas fuiſſe dicant, alii gemmeas, cujus poſterioris ſententiæ alii pyropo, alii carbunculo, alii ſapphiro favent. Addunt Judæi, illis dolatis Moyſem lucrum ingens ex fragmentis eraſis nactum eſſe. Ex utroque latere deſcriptas perhibet Moyſes (*b*). Perforatas credunt nonnulli, ut ex utroque latere, recto ſcilicet, & averſo, commode legerentur. Malunt alii, Moyſem idcirco monuiſſe, illas ex utraque parte ſcriptas, quod hoc eſſet contra receptum tunc temporis morem; cum ſcilicet pugillaria nonniſi ex uno latere deſcriberentur. Alii putant, illas deſcriptas fuiſſe e duabus partibus, ſe mutuo reſpicientibus, ita ut mutuo cohærentibus illis nihil exterius appareret. Sunt etiam qui malint, decem illa præcepta in utraque tabula repetita fuiſſe. Placet tandem quibuſdam ſanctiones iſtas dividere, ut utraque tabula quinque habuerit.

XII.

(*a*) 1. Reg. VIII. 9. (*b*) Exod. XXXII. 15.

XII. Addit Moyſes, tabulas iſtas ſcriptas fuiſſe *digito Dei*. Eſt tamen id varie a variis expoſitum. Ad literæ rigorem accipiunt quidam, ut non alterius quam Dei opera ductos credant litterarum apices. His ſuccinunt, qui huic miniſterio virtutem Spiritus ſancti, qui alibi *Digitus Dei* appellatur (*a*), deputare malunt. Alii ad Angelum recurrunt. Nonnullis præceptum Dei ad Moyſem de illis conſcribendis eſt ipſius Dei digitus. Parum ab his diſcrepant, qui Dei afflatum, ſive internum impulſum, quo Moyſes permotus eſt ad ſcribendum, aſſignant: S. Aguſtinus, & S. Cyprianus ſcribunt, ſecundas Tabulas, quæ in Arca reconditæ ſunt, exaratas non fuiſſe manu Dei, uti priores, quas Moyſes confregerat. Quædam ſane leguntur in Scriptura, quæ promovent hanc opinionem (*b*). Verum Moyſes ipſe in Deuteronomio referens hiſtoriam de ſecundis Tabulis, exprimit non obſcure, ſcriptas fuiſſe a Deo: *Scripſitque in Tabulis juxta id quod prius ſcripſerat* (*c*). Unde recta conſecutione infertur, vel neutras Deum per ſe, vel utraſque ſcripſiſſe. Nonnemo aſſeruit, ſcribendi rationem tunc primum paruiſſe, cum Deus Moyſi tabulas inſcriptas Decalogo tradidit. Sed Scriptura narrante ſcimus, Moyſem ipſum litteris conſignaſſe nonnulla Dei præcepta, Tabulis Decalogi non adhuc traditis (*d*).

Quis tabulas ſcripſerit.

XIII.

(*a*) Exod. VIII. 19. Luc. XI. 10.

(*b*) Exod. XXXIV. 27.

(*c*) Deut. X. 4.

(*d*) Exod. XXIV. 4. & XXXI. 18. Vid hanc Hiſt. l. 1. c. 7. n. 5.

Cultus aſinini Judæi falſo accuſantur.

XIII. Gomor manna plenum Arcæ commiſſum, cum habeat affinitatem quamdam cum *Chamor*, *Aſinus*, facile calumniæ *Cultus aſinini* viam ſtravit. Scriptores ſane Ethnici Judæos accuſarant, quaſi capiti aſini cultum impenderint. Hujus fabulæ primus artifex Appion Grammaticus videtur, qui dictitabat, Antiochum Epiphanem, cum primum occupato Templo abdita illius penetraſſet, caput aſini in Sanctuario deprehendiſſe. Plutarchus, & Tacitus in eumdem errorem impegere, qui hujus cultus in cauſa fuiſſe ſcribunt, aquas, aſino monſtrante, in deſerto ab Judæis repertas. Eadem de vetuſtis Chriſtianis vulgata ſunt. Quin quidam Judaicæ Religionis deſertor tempore Tertulliani ſimulacrum quoddam trabeatum pinxit in tela, librum gerens, auribus oblongis, pedibuſque ad inſtar aſini, addita epigraphe: *Deus Chriſtianorum Ononychites*. Promovendæ autem in Chriſtianos invidiæ, illud peropportunum accidit, quod apud Ethnicos olim Chriſtiani non ſatis ab Judæis, e quibus ipſorum Religio exordium ſumpſerat, diſtinguerentur. Tanaquillus Faber non ex ſimilitudine illorum nominum *Gomor*, & *Chamor*, ſed ex Templo *Onion*, quod Onias Judæorum Pontifex in Ægypto excitarat, calumniam de cultu aſinino profluxiſſe mavult, quaſi ex *Ono* ſcilicet aſino, calumniandi anſam Judæorum hoſtes ſumpſerint. Ex verbis Scripturæ, ſæpius Judæis uſurpatis: *Os Domini loquutum eſt*; in Hebræo, *Pi-Jehova*, ſive *Pi-Jeo*, Bochartus autumat, factum eſſe, ut Ægyptii, apud quos

Pieo

Pico eſt aſinus, fabellam de aſino cuderent (*a*). Apud Martialem adigitur Judæus, Verpes, hoc eſt, Circumciſus, appellatus, ut juret per Anchialum, ſive, ut alii legunt, Ancharium: *Non credo, jura, Verpe, per Anchialum* (*b*). Ancharius eſt aſinus. Vulgaris jurandi apud Judæos formula eſt, *Vivat Deus*. Porro hæc ita pronunciari poſſunt hebraice: *Aa-chai-Elion*, per Altiſſimi vitam. Facile hinc deductum eſt nomen Anchialus.

XIV. Menſa ex ligno Sethim, quadrato erat oblongo; habebat enim duos cubitos in longitudine, unum in latitudine, & unum ac ſemiſſem in altitudine. Non ſuperficies tantum menſæ auro veſtiebatur, ſed limbus etiam circum excurrens; ſupra quem aſſurgebat *operis interraſilis* ornamentum aliud, quatuor digitis altum. Interraſile autem opus eſt illud, ſi quoſdam audias, quod per intervalla cælatis quibuſdam ornamentis decoratur. Eodem modo appellare poſſemus & funem, ſive torquem, e duplici, aut multiplici plexu contortam. Porro corona illa, ſive lorica, ita menſam ornabat, ut ſimul etiam contineret ſupra menſam panes, ne forte deciderent. Ad quatuor angulos infra limbum menſæ annectebantur quatuor annuli, per quos, cum opus eſſet, vectes tranſmitterentur. In ſervitio ejuſdem menſæ, quædam Deus præcepit vaſa aurea, quæ apud Vulgatam dicuntur acetabula, phialæ, thuribula, & cyathi. Acetabulo abuſione qua-

Menſa aurea.

dam

(*a*) Vide Calmet. verb. *Aſinus*.

(*b*) Epig. l. 11. c. 95.

dam utuntur Scriptores ad deſignanda varia menſurarum genera, ſive aceto, ſive aliis liquoribus deſtinata. Quidam illi voci ſubſtituunt lances, alii ſcutellas, nonnulli ampliores catinos, quibus mactrarum loco uterentur Levitæ in conficiendis panibus propoſitionis. Alia vaſa ſali, thuri, & vino continendo facile inſerviebant.

Panes Propoſitionis. XV. Sigulis hebdomadis die Sabbati menſæ aureæ *Panes Propoſitionis*, vel juxta Hebræum, *Panes facierum*, apponebantur. Quadratos fuiſſe, quatuor inſtructos faciebus, aurique foliis obductos panes illos, affirmant Hebræi. Numero erant duodecim, pro numero pariter duodecim Tribuum, quarum nomine offerebantur. Ingentes erant utique, cum ſingulis illis conficiendis abſumerentur duo aſſarones farinæ, videlicet ſexdecim circiter libræ. Fermenti nullus in illis uſus; offerebanturque calidi adhuc Sabbato, ablatis veteribus, quorum uſus, ſi caſum neceſſitatis excipias, Sacerdotibus tantum erat permiſſus (*a*). Huic oblationi thus, & ſal, nec non, ſi quibuſdam fides, vinum addebant. Sal quidem, & thus tantum præfert Scriptura; ſed ideo vinum ab aliis adjungitur, quod nullis deerat vel ſacrificiis, vel oblationibus. Porro thus adolebatur in menſa aurea, quoties recentes panes imponebantur. Interpretum plerique cenſent, panes illos alterum ſuper alterum poſitos fuiſſe, duplici columna, ſex utrinque. Addunt Rabbini, inter duos panes geminam auri fiſtu-

(*a*) Matth. XII.

ſtulam, ſive laminam, fuſcinulis ex eodem metallo e ſolo extantibus ſuſtentatam, ut aer permeans a ſitu redderet immunes. Alibi diximus, Tabernaculum perinde habitum fuiſſe, ac Regis Judæorum Tentorium, in medio populi ſui ambulantis, cui eadem obſequia, quæ Regi, ſi adfuiſſet, a populo præſtarentur. Menſa erat ſemper in triclinio Regibus ſtrata, ibique pariter ardebant lampades.

XVI. Candelabrum quod Moyſes excudi, & in Sancto ad latus meridionale e regione menſæ aureæ, collocari juſſit, opus erat ex ſolido, gravique metallo, vel, ut alii cenſent, malleo ductum ex eadem metalli maſſa, nulla junctura, ſeu ferruminatione. Baſis truncum ſuſtinebat, qui in ſeptem ramos dividebatur; illi vero liliis, ſphærulis, & ſcyphis ornabantur. Singulis ramis ſingulæ impoſitæ lucernæ, quæ removebantur, cum opus eſſet. Non deerant emunctoria, ſive forcipes, quibus lampades emungerentur; nec illa vaſa, quæ excipiendis fungis, cum emungerentur, erant neceſſaria. Lucernæ veſpere accenſæ, mane extinguebantur. Tres tamen per diem etiam arſiſſe, tradit Joſephus (*a*). Ex auro omnia, adeo ut in illud opus inſumptum fuerit ex eo metallo talenti pondus, ideſt centum & viginti quinque libræ Romanæ. De altitudine hujus Candelabri nihil Scriptura; ſed ex ejus uſu ſatis intelligimus, non altius ſurrexiſſe, quam ad tres circiter cubitos. Sunt qui ſex ramos ex eodem calami nodo deducant,

Candelabrum.

(*a*) Antiq. l. 3. c. 9.

cant; ſunt qui binos, ac binos e calami trunco, vario intervallo, ad utrumque latus oriri putent. Luce hujus condelabri Sanctum, Altare incenſi, & Menſa aurea colluſtrabantur. Templo per Salomonem ædificato, decem ejuſdem operis & metalli candelabra excuſa ſunt, & duobus lateribus meridionali, ac ſeptentrionali, æquali ordine in Sancto diſpoſita (*a*). Poſt captivitatem una cum Templo etiam candelabrum aureum reſtitutum eſt (*b*). Illud vero cum ceteris Templi ornamentis, poſt ejuſdem Templi deſtructionem Romam translatum, & in triumpho delatum fuiſſe, Joſephus eſt auctor (*c*); monumentumque rei in Titi arcu ad radices montis Palatini, opere anaglyphico expreſſum, viſitur. Candelabrum a Zacharia Propheta viſum (*d*) in eo a deſcriptis hucuſque diſtinguebatur, quod Sacerdotes in ſingulas illorum lampades oleum infunderent, cum Zacharia iſtud oleum ſeptem lampadibus ſufficeret per ſeptem canalia, ducta ab uno communi alio in vertice Candelabri conſtituto. Porro canale iſtud, ceteris oleum ſufficiens, affuſum habebat liquorem e duplici dolio, in dolia autem ſtillabat liquor e duplici arbore olivarum, hinc inde ad latera Candelabri. Nunquam tamen Candelabrum illud reipſa extitiſſe, credimus.

Altare aureum incenſi.

XVII. Altare Thymiamatis, ſive incenſi, e ligno Sethim conſtabat, protegebaturque aureis

(*a*) 3. Reg. VII. 49.
(*b*) Zacchar. IV. 2. 11. 1. Mach. IV. 49.
(*c*) De bello l. 7. c. 24.
(*d*) Zachar. IV. 1.

reis laminis. Surgebat in altum duobus cubitis, in latum vero uno tantum cubito in quadrum. Ad quatuor angulos, quædam parvæ pyramides, ceu cornua prominebant; totumque cingebat in ſuperiori facie labium quoddam, vel corona, quæ ſurſum vergebat. Sub labio ad quatuor pariter angulos annuli videbantur, quibus vectes e ligno Sethim auro obducti insererentur, ut in itineribus deferendo Altari inſervirent. Ejus locus erat in Sancto ante velum Sancti-Sanctorum, medius inter menſam & candelabrum. Mane & veſpere ſingulorum dierum Sacerdos per hebdomadam deſtinatus thymiama ſuper Altare adolebat. Summus vero Sacerdos ſemel tantum in anno ſuper quatuor angulis aliquid e ſanguine victimæ pro peccatis populi die Expiationis oblatæ, imponebat. Præter hæc quidpiam in eo offerre nefas (*a*). Scribit Joſephus ſuper hoc Altare inhæſiſſe quamdam arulam, continentem prunas ad thymiama adolendum (*b*). Auctor Vulgatæ in idem conveniens, innuit, altare illud ornatum fuiſſe craticula quadam ad ſuſtinendum prunas, & thymiama, cujus per cancellos deciderent cineres in cavum quoddam receptaculum. Calmetus nihil horum admittit, ratus, Sacerdotes deſumpſiſſe prunas ex Altari Holocauſtorum in thuribulo, cui, ſuper tectum, Hebraice *Gag*, Altaris impoſito, thymiama injiceretur. Cum novum vas ſufficiebatur, addit ille, vas antea poſitum amovebatur; vel tandiu ibi morabatur Sacerdos, quam-

(*a*) Exod. xxx. (*b*) Antiq. l. 3. c. 7.

quamdiu adoleretur incenſum, vas ſive thuribulum inde reducturus. Iſte forte erat prioris temporis ritus, non vero poſterioris, cujus ipſemet Joſephus teſtis fuit. Docent Rabbini, nihil oblatum fuiſſe in Altari Holocauſtorum, niſi prius Altare thymiamatis impoſito thure fumaſſet. Cum autem incenſum illud adoleretur, Sacerdos & populus ſimul orabant; quorum preces figura quadam indicabat ſublata e thure in cælum fumi nubes. Veterum Hebræorum thuribula differebant plurimum a noſtris; neque enim e prolixis illis catenulis pendebant, ſed genus quoddam referebant parvi clibani cum anſulis, vel etiam abſque illis; quem Sacerdos imponebat Altari. Agens enim S. Joannes in Apocalypſi de Thuribulis, deſignat illa nomine lancium, vel ſcyphorum: *Phialas aureas plenas odoramentorum* (*a*).

Thimiama quomodo pararetur.

XVIII. Conficiendo thymiamati ſuper Altare aureum adolendo adhibebantur *Stactes*, *Onycha*, *Galbanum*, & *Thus*, e ſingulis æqua portio (*b*). Stactes eſt fluidus ille liquor, qui ex arbore Myrræ ſponte ſtillat, cui antonomaſtice aromatis nomen. Commentatoribus pleriſque Onycha, de qua nunc, eſt teſta, ſeu unguis piſcis cujuſdam, teſtæ piſcis purpuræ perquam ſimillima. In paludibus Indiæ piſcatu apprehenditur, ubi paſci creditur ſpica nardi, ex qua in teſta odor. Alis Onycha eſt Bdelium, aroma ſcilicet in Arabia pretioſiſſimum. Galbanum ſuccus eſt ſtillans ex inciſione cujuſdam plantæ, in monte Amano Syriæ occu-

(*a*) Apoc. v. 8. (*b*) Exod. xxx. 34.

occurrentis, quæ ferulam imitatur. Thus denique eſt reſina quædam aromatica, quam ſtillat arbor apud veteres thurifer dicta, foliis veſtita pyro haud diſſimilibus. Thus diſtinguitur in maſculum, & in feminam. Femina mollius eſt, magis reſinoſum, minuſque ſuave odorat: non hoc, ſed maſculus adhibebatur, quod lucidiſſimum appellat Scriptura. Admiſcebantur hæc omnia in paſtillos, ſuper Altare comburendos. Quidam addunt quatuor illis aromatibus ſalem, quod præſtitum credunt in obſequium Legis, jubentis nihil offerri Sacrificii niſi ſale conditum (*a*). Alii autem ſalem removent non tantum ab aromatibus, de quibus loquimur, ſed & a ſanguine victimarum, & ab omnibus illis libationibus, in quibus ſal quid eſſet inutile, & ſuperfluum. Porro hoc unguenti genus ſacrum erat, & inviolabile, cunctiſque illud in ſuos uſus convertere ſub mortis pœna interdictum. Morem litandi ſuffitu a Moyſe ceteri facile didicerunt. Sacrificia Noe, Abrahami, aliorumque vetuſtiorum Patriarcharum nullo redolebant thure, ſed aſſatarum tantum carnium nidore. Quæ optima erant in Arabia, ubi tunc Hebræi verſabantur, juſſit Deus, ut ſibi omnium Domino offerrentur.

XIX. Altare Holocauſtorum Arcæ ſimilitudinem referebat, ex lignis Sethim conſtructæ, & æreis laminis obductæ, quinque cubitis in quadrum, & tribus in longum (*b*). Hujus locus ad Orientem in veſtibulo Tabernaculuii ſub *Altare holocauſtorum.*

H

(*a*) Levit. II. 13. (*b*) Exod. XXVII.

ſub dio, ne ſcilicet igne continuo ſuper illud ardente, fumus interiora Tabernaculi denigraret. Ex quatuor ejus angulis totidem veluti cornua prominebant, eodem, quo cetera, metallo veſtita. Ad quid autem hæc cornua? Facile ut eſſent ornamento: vetuſtis ſane moribus obtinuit, ut cornuti ſæpe exhiberentur Dii, Reges, Heroes, Amnes, Simulacra, Aræ. Gaudebant homines illo ornamento, quod in animalibus ſpecioſiſſimum credebant. Forte cornua Altaris ſuſpenſam tenebant cratem illam æneam, quæ igni continendo, demittendiſque in ſubjectum receptaculum relictis ex igne cineribus, conſtituta erat intra vacuam Altaris aream, ad medium uſque dimiſſa. Alii cornibus devinciunt lora victimarum, quæ mactandæ ad pedes Altaris interdum ſtatuebantur. Quidam eiſdem ſuſpendunt ænea illa inſtrumenta, quæ uſibus Sacrificii erant deſtinata, lebetes, fuſcinulas, pateras. Suis annulis ad latera inſtructum erat Altare, detinendis vectibus, Altari tranſvehendo præparatis. Putat Calmetus, nec immerito quidem, inferiorem Altaris partem vacuam omnino fuiſſe, & undequaque apertam, ſuis tantum pedibus, quibus ſuſtineretur, inſtructam. Ita enim facile dignoſcimus, quo pacto cinis demiſſus exciperetur in lebetem crati ſuppoſitum, admiſſuſque in inferiori parte aer ignem ita conſervaret, ut ſimul prohiberet, ne nimium incaleſceret, neve liquaretur æs, vel tabulæ, quibus arca ſub laminis compingebatur, incenderentur. Altare æneum, quod Sa-

lo-

lomon in Templo conſtruxit, Moſaico longe majus erat. Poſt captivitatem interiora ipſius ex lapidibus impolitis conſtabant (*a*): fortaſſis & ante captivitatem; quin & in deſerto ipſo, ut nonnullis videtur; quod tamen iis, quæ modo aſſeruimus, repugnant. Duo agni in quotidianum holocauſtum ſuper Altare æneum, alterum nempe ſub lucis exortum, ante cetera ſacrificia, alterum ſub ejuſdem exitum, offerebantur; quibus addebatur hemiſextarius vini, & tantumdem olei ex oliva puriſſimi, & aſſaron ſimilæ.

XX. Labrum quoque æneum ex mulierum, ante Tabernaculi fores excubantium, ſpeculis Moyſes fieri præcepit (*b*). Deſtinatum erat lavandis manibus, pedibuſque Sacerdotum ingredientium in Sanctum ad thus offerendum, ac poſt obitum munus inde egredientium. Deſerviebat etiam, uti creditur, ſacrorum utenſilium, victimarum, extorum, ac pedum hoſtiarum lotioni. Hujus locus erat inter Tabernaculum, & Altare holocauſtorum. Labro Salomon in Templi a ſe excitati uſum, Mare æneum ſuffecit. Sunt qui divinando dicant, labrum figuram exhibuiſſe mammillarum, aquam vero per duas fiſtulas, quas clavis inſerta claudebat, aperiebatque, demiſiſſe in ſubjectam pelvim, in qua & lavarentur Sacerdotes, & ſufficerentur ad uſum Tabernaculi aquæ. Ex qualibet metallorum ſpecie, ex ar- *Labrum æneum.*

(*a*) Mach. IV. 47. Joſeph. l. 16. de Bello c. 14. & l. 4. Antiq. c. 7. Philo de victim. offeren.

(*b*) Exod. XXXVIII. 8.

gento nempe, ære, ſtamno, atque ſtamni ſimul & æris mixtione olim ſpecula parabantur; quem morem Orientalium quidam adhuc retinent. Nullo igitur negotio ex æneis ſpeculis æneum labium confici potuit. Putavit Oleaſter, ſpecula illa, quæ mulieres ſuffecerunt, non fuiſſe labri materiem, ſed diſpoſita tantum fuiſſe circa labrum ipſum, ut lavantes ſe ſe Sacerdotes, ſeu jam loti, ſpeculum conſulerent. Sententia prorſus ſingularis, quæ Moſaicæ narrationi minus congruit.

Mulieres ante fores Tabernaculi excubantes.

XXI. De mulieribus, quæ *excubabant in oſtio Tabernaculi*, non una eſt Interpretum ſententia. Putant enim nonnulli, illas Tabernaculi ſervitiis addictas ante illius aditum, in ſegregato a ceteris tentorio, ſacras, perpetuaſque egiſſe excubias. Idem quoque cenſent de illis mulieribus *ad oſtium Tabernaculi obſervantibus*, quibus filii Heli ingenti populorum ſcandalo abutebantur (*a*): nec diſſona ſentiunt de Anna Prophetiſſa, ac de Beata Virgine. Malunt alii, pias mulieres fuiſſe, quæ in propriis tentoriis, ſive domibus una cum ſuis maritis, aut conſanguineis morantes, Tabernaculum frequenter, ſtatiſque vicibus adirent oraturæ (*b*). Profecto Philo exprimit tantum, mulieres illas certatim, ac tanto ardore, quanto alius nemo, ſpecula ſua contuliſſe; nihilque perhibet de excubiis ad oſtium Tabernaculi (*c*). Textus pariter originalis fert tantummodo, veniſſe illas per choros, ut armatorum manum ex-

(*a*) 1. Reg. 11. 22.

(*b*) Gotti de vera Religione tom. 4. p. 1. c. 3. n. 5.

(*c*) Lib. 3. de vita Moyſ.

exhibere viderentur. Idem eſto de Anna Prophetiſſa, & de mulieribus a filiis Heli conſtupratis judicium. Mariam tandem Chriſti Matrem, Deo a parentibus oblatam fuiſſe in Templo, certiſſimum tenemus; ſuadetque Feſtum, quod de illius Præſentatione celebramus; an vero in eodem Templo educata fuerit, inter ambigua computatur (*a*).

Summi Pontificis veſtes, Tunica, Pallium, Ephod, Rationale, Tiara, Balteus; ubi de ratione conſulendi Deum per Urim, & Thummim. Veſtes minorum Sacerdotum. Quædam & de vulgarium Hebræorum veſtibus delibantur.

C A P. IX.

I. UT Dei cultus majori haberetur in honore, nedum Tabernaculum fieri juſſit Moyſes, ſed & Sacerdotes, ſacra in eo operaturos, veſtium gloria & majeſtate ornandos curavit (*b*). Summus igitur Sacerdos femoralibus ex tenui lino indutus, tunica pariter linea nuda protegebat. Femoralia alii ad genua, alii ad ſuras promiſſa credunt. Quidam tenent utrinque coxæ ſciſſione, & ſutura aptata fuiſſe; ceteris veſtis erat textilis, & inconſutilis. Dubitatur etiam, num uno ambitu utrumque femur ſimul velaverint. Erat tunica longior quædam veſtis manicata, & in-

Summi Sacerdotis femoralia, & tunica.

(*a*) Vide Gotti ibid. n. 13. Vide hanc Hiſt. l. 11. c. 1. (*b*) Exod. XXXVIII.

inconſutilis, foramine in vertice, inſerendo capiti, inſtructa, qua Sacerdos ſubuculæ loco induebatur. Tunica induebantur & Sacerdotes reliqui. Sed ea, quæ ad Summum Pontificem ſpectabat, elegantiori opere diſtinguebatur. Vocat illam Scriptura tunicam *ſtrictam* ſive *arctam*. Porro alii veſtem ornamentis, & laciniis divitem reddunt; alii auro, gemmis, vel unionibus variatam; alii diſeminatam pictis oculis inſtar caudæ pavonis; alii radiis, vel aſpera ſuperficie ſcite diſtinctam; alii denique, quod & nos probamus, elegantiori, firmiorique textura compactam.

Pallium. II. Huic Tunicæ Trabea ſive pallium ſuperadditum, colore hyacinthino, cujus fimbriam tintinnabula quædam, & melogranata, alterno ordine diſpoſita, ornabant. Tintinnabula ex bracteis aureis erant elaborata, malogranata vero ex lana hyacinthina, purpura, & cocco. Tintinnabulis, & malogranatis Philo quoſdam addit floſculos (*a*). Hebræi quidam ferunt, tintinnabula illa rotunda fuiſſe, uti apud nos crepitacula; alii vero tintinnabula hæc a vulgaribus non diſtinguunt. Ideo autem ſummum Sacerdotem illa geſſiſſe credimus, ut pertranſire ſe indicaret, poſtularetque aditum ſibi permitti; vel forte, ut moneret populum, pedem movere ſe in Sanctuarium. De numero, & magnitudine tintinnabulorum, & malogranatorum non convenit inter Scriptores. Veſtem hanc rotundam ad terram uſque promiſſam, undique clauſam, unico tan-

tum

(*a*) Philo l. 2. de Mo- narch.

tum in ſuperioribus hiatu patentem, plerique effingunt. Hiſcebat tamen facile & ad latera tranſmittendis lacertis, quos tunicæ interioris manicæ veſtiebant. Manicas quidam dant huic quoque pallio, ſed alii negant.

III. Fluens hoc Pallium zona quædam cui nomen *Ephod*, & non raro *Superhumerale* adſtringebat. Cingulum erat duabus vittis conſtans, quæ e ſcapulis dimiſſæ ante pectus, ad inſtar ſtolæ, qua nos utimur, decuſſabantur. Inde in poſteriora ductæ, novoque mæandro in anteriora reductæ, nodo inter ſe ſe vinciebantur, atque exinde liberiores in terram defluebant (*a*). Duo occurrunt genera Ephod, alterum lineum pro Sacerdotibus; alterum pretioſiſſimi operis in uſum ſummi Pontificis. De ſacerdotali, cum ſimplex eſſet, nihil præter nomen in Scripturis. ſummi vero Sacerdotis Ephod exacte ſatis deſcribitur. Auro igitur, hyacintho, purpura, cocco bis tincto, goſſipio torto, polymito opere conſtabat. Quibus ex locis e ſcapulis deſcendebat, duabus pretioſis, magniſque gemmis, nominibus duodecim Tribuum, ſex cuilibet inſculptis, interſecabatur. Ubi vero in pectore decuſſabatur, *Rationale* reſpondebat. Philo Ephod comparat loricæ (*b*); Græcorum pallio Joſephus (*c*); cui veſtis erat manicata, a tunica non abhorrens, variis coloribus, & aureis bracteis diſtincta, habens in ea parte, quæ medio pe-

Ephod ſive Superhumerale.

(*a*) Exod. xxv. 7. & Moyſis. XXXVIII. 6.

(*b*) Lib. 3. de vita

(*c*) Antiq. l. 3. c. 8.

ctori reſpondebat, quamdam lacunam omni ornamento carentem, excipiendo Rationali deſtinatam. Sed habemus perſuaſum, Ephod, quod erat in uſu Philonis, & Joſephi ætate, alterius formæ fuiſſe a Moſaico.

Rationale Judicii. IV. Rationale pannus erat acu pictus, & pretioſus, palmo, vel potius dimidio cubito in quadratum (*a*), in quo inſertæ duodecim gemmæ in quatuor ordines, tres in ſingulos. Gemmarum quælibet cælatum ferebat nomen unius ex duodecim filiorum Jacobi, duodecim Tribuum auctorum, ita ut nomen Rubenis eſſet in prima, Simeonis in ſecunda, & ſic de aliis, ſervata ortus prærogativa. Porro gemmarum nomina hæc ſunt, Sardius, Topazius, Smaragdus, Carbunculus, Sapphyrus, Jaſpis, Ligurius, Achates, Amethyſtus, Chryſolitus, Onychinus, & Beryllus. P. Calmet putat, Interpretes caſu vertiſſe pleraſque gemmas hic expreſſas. Dicitur autem *Rationale Judicii*, ſive quod judicia, & voluntatem Dei, medio *Urim*, & *Thummim*, panderet Sacerdoti; ſive quod Sacerdos Rationale geſtaret, tanquam dignitatis ſuæ, Judicis ſcilicet, inſigne. Pannus rationalis duplex appellatur, facile quod duplici eſſet ac denſa textura, vel quod conſtaret duplici reapſe panno, veluti crumena, continens Urim & Thummim.

Uurim, & Thummim. V. De *Urim*, & *Thummim* in varias abitum eſt ſententias. Textus originalis habet: *Pones in Rationali Urim & Thummim* (*b*). S. Hie-

(*a*) Exod. XXXVIII. 16. XLIII. 15. 17. juxta Hebræum. Ezech. (*b*) Exod. XXXVIII. 30.

Hieronymus reddit *Doctrinam*, & *Veritatem*; quæ quidem perfectiones ſummum Sacerdotem maxime decent. Septuaginta parum abludunt, vertentes *Declarationem*, & *Veritatem*. Sunt, qui duo eſſe epitheta gemmarum Rationalis velint; ut ſit ſenſus: *Pones in Rationali gemmas fulgentes & expolitas*. Et hæc quidem quantum ad illorum nominum interpretationem. Sed quid rei erant? Veteres quidam, & recentiores plurimi, Joſephum (*a*) ſequuti, tuentur, ipſiſſimas eſſe Rationalis gemmas, exteriori quadam luce, & fulgore a Deo immiſſo, futura, & occulta referantes ſummo Sacerdoti. Alii duodecim gemmis Rationalis duas alias addunt, quæ Urim, & Thummim vocarentur. Volunt nonnulli, voces haſce in Rationali deſcriptas fuiſſe. Nihil aliud quidam quærunt præter nomen Jehova in Rationali expreſſum. Alii deſignatas credunt virtutes, quibus præſtare debet ſummus Sacerdos, doctrinam ſcilicet, & ſanctitatem. De ipſomet Rationali explicat Cajetanus, quod Urim eſſe oporteret, nempe aperto aeri expoſitum, ut gemmæ omnes ingenita luce micarent; oporteret eſſe & Thummim, ideſt omnibus numeris perfectum, ſingulis ad præſcriptum conſtitutis. Spencerus recurrit ad geminas Icones, ceu Idola, quæ intra Rationale, crumenæ figuram exhibens, conditæ, oracula redderent. Affirmat Urim, & Thummim ad Chaldæorum Theraphim acceſſiſſe. Paria cum Spencero cogitaſ-

(*a*) Joſeph. Antiq. l.3. c. 8.

gitaſſe Philo videtur (*a*). Clericus tandem pro Urim, & Thummim intelligit gemmas, quæ in modum monilis e collo ſummi Sacerdotis ad pectus uſque deſcendebant; quem quidem morem, Judæi, inquit, ex Ægyptiis derivare potuere, apud quos juris dicundi Principes imaginem veritatis in gemmis cælatam, & ab aurea catena in monilis modum pendentem, deferebant.

Ratio Deum conſulendi per Urim, & Thummim.

VI. Ad rationem quod ſpectat conſulendi Deum per Urim, & Thummim, variant pariter Scriptores. Cenſent nonnulli Joſepho præeunte, de rebus obſcuris capi conſueviſſe indicium e fulgore gemmarum Rationalis. Si obſcurum quid præferrent, mali id ominis erat; ſi luce inſolita niterent, probari a Deo creditum erat, quod proponeretur. Docent Rabbini, ſummum Sacerdotem oculos conjeciſſe in gemmas Rationalis, quod gerebat in pectore, ibique in litteris nomina filiorum Jacobi, ſive duodecim Tribuum componentibus, legiſſe oracula. Quæ enim litteræ extra aliarum ordinem prominentes e ſcamno ſuo aſſurgebant, nitebantque inſueto fulgore, illæ ſimul compoſitæ ad propoſitas, quæſtiones dabant reſponſa. Quam arguti, Deus bone! Reputant alii non ſine magna veri ſpecie, Deum conceptis verbis reſpondiſſe ex imo fundo Sanctuarii, ſive Arcæ propitiatorio, quod frequentiſſime in Scriptura Oraculum appellatur: qui ſi reſponſa non daret, ſiniſtro id erat augurio. Quid autem, ſi Arca abeſſet? Tunc Deus, inquiunt, reſpon-

(*a*) Philo l. 3. de vita Moyſ.

reſpondebat ex privato ſacello, in quo conſulebatur. Spencerus aliique cum eo id præſtitum putant, ut jam dictum eſt, ex Rationalis crumena. Poſtrema ſententia fert, Deum intimo quodam lumine ſummum Sacerdotem ſuam docuiſſe voluntatem: quod lumen nunquam ſe non daturum jugi miraculo ſpoponderat, cum ab eo conſuleretur, Ephod, & Rationali ornato. Porro morem illum conſulendi Deum per Urim & Thummim, ſub Tabernaculo tantum valuiſſe, docent Rabbini, contra ac ſentit Joſephus, qui aſſerit a ducentis ante ſe annis Rationalis gemmas a fulgore abſtinuiſſe. Verum illi mordicus defendunt, Spiritum Dei collocatum fuiſſe cum Iſraelitis, per Urim, & Thummim, quandiu perſeveravit Tabernaculum; ſub priori Templo, nempe Salomonico, per Prophetas, qui in rebus dubiis erant adeundi; ſub altero vero Templo, ideſt poſt captivitatem, per *Bath-Kol*, per Filiam vocis. Genus eſt, ajunt, inſpirationis, minus quidem perfectæ, ſed non minus certæ. En e Thalmude exemplum. Cum duo Rabbini inviſendi amicum ſuum Samuelem doctorem Babyloniæ tenerentur deſiderio, dixerunt: Sequamur quidquid monuerit *Bath-Kol*. Tranſeuntes per Scholam caſu auſcultarunt quemdam e Scriptura legentem: *Mortuus eſt Samuel* (*a*); reputaruntque, id quod verum erat, virum interiiſſe. Nos certo ſcimus, vocem Dei cælitus in Chriſti Baptiſmo, & Transfiguratione inſonuiſſe.

VII.

(*a*) 1. Reg. xxi. 1.

Tiara, ſive Cidaris. VII. Summi Sacerdotis Tiara, ſive Cidaris, ornamento quidem tiaras minorum Sacerdotum vincebat; cujus tamen eſſet figuræ nonniſi temere definiretur. Tiara aliorum Sacerdotum ex lino, ſummi vero Sacerdotis ex goſſipio, vel byſſo conſtabat. Tiaræ præterea ſummi Sacerdotis anteriorem partem diſtinguebat aurea quædam lamina, his verbis inſcripta: *Sanctum Domino*, ſive *Sanctitas Domini*. Huic autem continendæ duo vittæ in occipite ſe ſe invicem vincientes adhibebantur (*a*). Pileum Sacerdotum conſtare dicunt Rabbini ex telæ vitta ſexdecim ulnarum, capiti involuta, caſſidis inſtar, nec aliam fuiſſe Cidaris ſummi Sacerdotis ſpeciem, quam quod hujus planior eſſet, ad formam tiaræ turcicæ magis accedens; illorum vero acutior, referens nocturnum capitis integumentum in criſtam nonnihil elevatum. Joſephus Cidarim vulgarium Sacerdotum aliter deſcribens, conſtare dixit ex linea tela, pluribus mæandris obvolutam, & aſſutam, ut ſpeciem vittæ craſſioris exhiberet. Totam vero coronam tela ſuperpoſita, & uſque ad frontem deſcendens, ita contegebat, ut ſuturæ non apparerent. Nec Pontificiæ Cidaris formam aliter exhibet, niſi quod eam totam protegebat aliud hyacinthini coloris tegmen, occiput, & utraque tempora operiens; illudque triplex aurea corona cingebat, tanquam calyculis herbæ hyoſcyami perpetuo ornata, præter quam ubi au-

rea

(*a*) Exod. XXVIII. 4. & 36.

rea lamina collocanda erat (a). Hæc narrans Joſephus ſui temporis certe ornamentum præ oculis habuit. Ex his omnibus ſatis intelligimus ea quæ ad ſacerdotalem Cidarim ſpectant, nondum nobis eſſe explorata. Ceterum Sacerdotes breviſſima cæſarie, & barba minime promiſſa utebantur (b). Nunquam aperto capite in Tabernaculo verſabantur. Inofficioſi eſſet hominis, minimeque liberalis noſtra etiam ætate apud Orientales caput coram alio detegere. Contrarius mos apud nos obtinuit.

VIII. Summi Sacerdotis cingulum, polymito opere elaboratum aurum ornabat. Alium habebat cingulum ſummus Sacerdos ad tunicam interiorem adſtringendam, vulgari Sacerdotum cingulo prorſus ſimilem. Ad hæc, tunicam hyacinthinam cingulus alter, ipſi Ephod, cujus erat pars, conjunctus, de quo nos ſupra, adſtingebat (c). *Baltheus ſive cingulus.*

IX. Conſueta minorum Sacerdotum veſtis tunica linea conſtabat, adjectis femoralibus ac tiara, cinguloque polymito, & reticulato opere, ut anguis exuvias exhiberet; latitudine trium digitorum, contexto (d). Narrat Joſephus, zonam illam pectus infra brachia duplici mæandro conſtringentem, ac deinde ad gravitatem conciliandam defluentem, variis ex byſſina, purpurea, & hyacinthina lana, contex *Veſtes omnibus Sacerdotibus communes.*

(a) Antiq. l. 3. c. 8.
(b) Levit. x. 6. & xxi. 5. Ezech. xliv. 20.
(c) Calmet. in Exod. xxviii. 4.
(d) Exod. xxviii. 39. 40. & xxxix. 3. 5.

textis floribus pictam fuiſſe. Hanc zonam Sacra facturi, ut expeditiores eſſent, ad ſcapulas rejiciebant (*a*). Levitis, quamvis in ſacrorum Miniſtrorum cenſum referrentur, nullæ erant veſtes peculiares, ſolemneſque, niſi quas poſtea a Rege Agrippa obtinuere, tunicam ſcilicet ſacerdotalem (*b*). Tandem Dei Miniſtri nunquam extra locum ſanctum ſacris induti veſtibus prodibant, niſi cogente neceſſitate, ut cum Jaddus Alexandro Magno obviam exivit (*c*).

Laicorum veſtes.

X. His quæ hactenus de ſacrorum Miniſtrorum veſtibus expoſuimus, aliqua ſane lux affulgebit, ſi nonnulla de vulgarium Hebræorum veſtibus hic addantur. Hebræorum igitur veſtes tunica erat linea, & laneum pallium. Tunica pro ſubucula utebantur, eaque perpetua plerumque textura conſtante. Pallium quadrati panni fruſtum, fuiſſe, indicat Scriptura (*d*). Pannum hoc non inciſum volunt aliqui, non ſutura aliqua reformatum, nulliſque inſtructum manicis, quod impoſitum corpori non una ratione adaptaretur. Modo enim capiti, & humeris, modo humeris tantum circumvolvebatur; ſæpe unum tegebat humerum, altero, & plerumque utroque brachio minime involuto. Interdum unco ad collum devinciebatur anterius, angulo uno retro poſt humeros ad terram uſque in modum ſyrmatis demiſſo, oppoſito vero ſuper humeros reflexo, ac e dor-

(*a*) Joſeph. de Bello l. 6. c. 6.
(*b*) Antiq. l. 3. c. 8.
(*c*) Antiq. l. 20. c. 8.
(*d*) Deuter. XXII. 12.

e dorſo in trianguli figuram pendente, utroque interim brachio duobus reliquis angulis obvoluto. Malunt alii de pallio Hebræorum affine aliquid cum Dalmatica Diaconorum ſtatuere; formatum enim cenſent e panno quadrato oblongo, in medio ſuæ longitudinis aperto, quo caput inſereretur, pendente e dorſo, & in anterius duplici quadrato panno, cujus utrinque panni latera nulla ſutura jungebantur, manicis veſti nullis adjectis. Quatuor pallii angulos flocci hyacinthini ornabant, adjectæque erant extremæ oræ veſtium fimbriæ; quod diſtinguendo populo ſuo a ceteris Dominus præſcripſit (*a*). Modo Hebræi ne veſtium ſingularitate ludibrio vulgi exponantur; ſub veſtibus induuntur geminato panni fruſtulo quadrato, cujus altera pars anterius ad pectus, altera vero poſt humeros pendet. E quatuor angulis ſinguli panniculi quadrati demittuntur totidem ex lana flocci. In ſynagoga tamen palam operiunt ſe velo quadrato, iiſdem floccis ad quatuor angulos ornato, quod *Taled* appellant (*b*). Albus color ceteris apud veteres Hebræos præſtabat (*c*). An vero tempore quo Moyſes Legem tulit, Iſraelitæ femoralibus uterentur, diſputatur. Nulla ſane hujus moris apparent veſtigia. Familiare erat Hebræis, ut nudo capite incederent. Si quid autem incommodi ſive ab æſtu, ſive ab ingruenti hyeme accidiſſet, illi pallio ſuper caput

(*a*) Num. xv. 38. & Buxtorfius. Deuter. xxii. 12.

(*b*) Leo Modena, &

(*c*) Eccleſ. ix. 8.

put reducto, quodam veluti pilei genere, occurrebant. Quæ tamen de viris dicta, non item pro feminis valent (*a*). Ad calceamenta quod ſpectat, illis Iſraelitas uſos fuiſſe, cum Binæo contra Bochartum tenemus. In ſingularibus tamen eventibus, veluti in lucto, in Templo, in pœnitudine nudipedalia exercuiſſe, ultro fatemur. Tibialium tandem uſum Hebræos latuiſſe, conſtans apud illos conſuetudo lavandi hoſpitum pedes, invicte probat.

Tabernaculum erigitur, Sacerdotes initiantur, ignis e cælo demittitur, Nadab & Abiu morte plectuntur.

CAP. X.

ANNUS MUNDI 2514. ante Chriſtum 1486. *Tabernaculum erigitur.*

I. CONfecto Tabernaculo, paratiſque ipſius utenſilibus, ac Sacerdotum veſtibus, omnia probavit Moyſes, laudavitque tum artificum ſedulam, accuratamque diligentiam, cum populi munificum, ac promptum animum in iis omnibus conferendis, quæ operi eſſent neceſſaria (*b*). Juſſus deinde Moyſes a Domino, ut Tabernaculum prima die primi menſis ineuntis anni ſecundi ab egreſſu ex Ægypto, erigeret, ſtatim illi conſecrando manus admovit, adhibito in illam rem unguenti liquidi genere quodam pretioſiſſimo; myrrha ſcilicet electa 500. ſiclorum pondere; cinamomo 250. ſiclorum; calamo aromatico eodem pondere; caſia itidem aromatica, 500. ſiclorum;

(*a*) Cor. XI. 5.

(*b*) Exod. XXXIX. 43.

rum; oleo denique olivæ Hin menſura (*a*). Myrrha, quæ ſponte ab arbore non inciſa ſtillat, omnium eſt perfectiſſima. Quod nos cannellam appellamus, illud omnium maxime accedit ad cinamomum; ſed tamen duo fuiſſe inter ſe diſtincta aromata, ac cinamomum altero longe præſtantius grato odore fuiſſe, ne ambigimus quidem. Qui in Apothecis ſub nomine calami venditur, alius eſt plane a veterum calamo aromatico: ipſe eſt Acorus verus, cujus uſus ineptus ad pretioſa unguenta. Vulgaris Caſſia odorem ſatis gratum nequaquam ſpirat. Præferunt quidam aliud caſſiæ genus, ſpiritum ſcilicet, qui ex Iride juxta Dioſcoridem deducitur. Unguento igitur, his aromatibus per artificem in ea re ſatis peritum præparato, Moyſes linivit parietes Tabernaculi, Arcam Fœderis, Menſam panum propoſitionis, Altare thymiamatis, Candelabrum, Altare Holocauſtorum, Labrum, & omnia quæ ad illa ſpectabant utenſilia. Eodem poſtea conſecrati ſunt Aaron, ejuſque filii, ac deinceps Reges Judæ. Illo uti, ſive unguentario opere mixturam illam conficere, nemini fas erat. Poſt erectum a Moyſe Tabernaculum, nubes illa, quæ eo uſque obumbraverat parvum illud Tabernaculum, quod extra Caſtra collocatum fuerat, ſuper novum hunc, amplumque convolavit, tantoque Deus majeſtatis apparatu illud implevit, ut ad illud accedere nec Moyſes quidem ipſe ea die

(*a*) Exod. xxx. 23.

auderet; quemadmodum in poſtremo Exodi capite relatum eſt.

Varios Sacrificiorum ritus Moyſes docetur.

II. Sed venire renuentem appellans Deus, leges illas docuit, quæ ſeptem prioribus Levitici capitibus continentur. Omnium primum Holocauſti ritus, & cæremonias, tum eas, quæ victimas offerendas, cum eas, quæ Sacerdotes immolantes ſpectant, præſcribit. Succedunt panis, vini, placentarum, ſpicarumque vireſcentium oblationes, quas ſacrificia pacifica, vel euchariſtica excipiunt. Hoſtiæ deinde pro expiatione criminis, a ſummo Sacerdote commiſſi, ſicut & pro criminibus, quæ ſive imprudenti populo univerſo, ſive etiam aliquibus ex populo obrepſerint, late præſcribuntur. Deſignantur tandem, quæ victimarum partes igne adolendæ, quæ vero offerentibus relinquendæ.

Aaron, & filii initiantur.

III. Juſſit poſt hæc Deus Moyſi, ut fratri ſuo Aaroni, ejuſque filiis Sacerdotium conferret, hereditario jure ad eorum poſteros tranſmittendum. Initiandis autem viris multiplici cæremoniarum apparatu Moyſes ex Dei præcepto uſus eſt (*a*). Delegit primum vitulum, geminoſque arietes, ac panes aliquos azymos, quos una cum placenta, & lagano, tenui ſcilicet folio & farina, & aqua in ebulliente oleo, ſive adipe cocta, quam Itali *frittellam* dicerent, in caniſtro apud Altare Holocaſtorum collocavit. Conſtituti deinde Aaron, & filii a Moyſe præ foribus Tabernaculi coram frequenti populo, ac loti prius, oblati ſunt Do-

(*a*) Exod. XXIX. Levit. VIII.

Domino, tanquam ab illo probandi. Tum Moyſes ſolemnibus ſummi Pontificis indumentis Aaronem ornavit; cumque ſepties oleo, quo antea Tabernaculum, aſperſiſſet Altare, liniſſetque illius utenſilia, & labrum cum baſi, adeo late ſuper caput Aaronis effudit liquorem, ut ex coma in barbam ipſe defluxerit. Volunt quidam ex Rabbinis, expreſſam fuiſſe in Aaronis fronte oleo litteram Caph כ. Malunt alii X., nonnulli tandem certant pro K. vel T. Induit deinde Aaronis filios, Nadab, Abiu, Eleazarum, & Itamarum communibus Sacerdotum veſtibus, eorumque manus, ſi quoſdam audias, ſacro, quo Aaron, inunxit oleo (*a*). Inde vitulus pro peccato oblatus, impoſita tamen antea ab Aarone, & filiis victima ſacerdotali manu. Ex illius ſanguine, digito libato, cornua Altaris Moyſes linivit; quod ſupererat cruoris ad baſim Altaris ſparſit: adeps igne abſumptus ſuper Altare; reliqua cum carne, pelle, & ſtercore extra caſtra cremanda, rejecta ſunt. Hoc Sacrificium quod pro peccato Aaronis & filiorum oblatum eſt Deo, alterum excepit, aries ſcilicet in holocauſtum mactatus; impoſita tamen prius victimæ Aaronis, & filiorum manu. Hujus ſanguis ad Altaris baſim effuſus eſt, reliqua ignis Altaris abſumpſit. His rite peractis productus alter aries, in Sacrificium euchariſticum, ſive pacificum litandus, quo Aaronis, & filiorum manus potiſſimum conſecrarentur. Poſtquam igitur illi manum de more arietis capi-

(*a*) Toſt. Janſen. Menoch. Vide & Exod. xxix. 9.

ti impoſuiſſent, victimam Moyſes jugulavit, atque defluentem ex vulnere ſanguinem ſumens, extremitatem dexteræ auriculæ ſingulorum linivit, eodemque ritu pollice dexteræ manus & pedis abluto, reliquus ſanguis Altaris ſuperiora per circuitum irrigavit. Tum adipem inteſtina operientem, caudam, renes, & armum dextrum, una cum pane azymo, placenta, & lagano, manibus Aaronis & filiorum Moyſes impoſuit. Supponens deinde manus ſuas manibus Sacerdotum oblata munera ſuſtinentibus, eas extulit in altum coram Domino. Si Rabbinis fides, Moyſes non tantum extulit, ſed & dimiſit manus, promovit Orientem verſus, retraxit ad Occidentem, ac tandem agitavit ad Septentrionem, & meridiem: quo ritu indicabatur munera illi offerri Deo, omnibus mundi partibus imperanti. Semel autem hæc illis tradita, iterum ab illis recepit, impoſuitque ſuper Altare igne adolenda. Secundum hæc, juſſit Deus ut ſibi offerretur & pectus arietis mox immolati, addiditque: Aaron, ejuſque filii devoventes ſe Domino, offerenteſque illi pectus, & armum dextrum hoſtiæ ſuæ pacificæ, jus habeant vindicandi ſibi eaſdem victimarum partes ex hoſtiis, quas filii Iſrael ipſorum miniſterio immolandas Domino deinceps offerent. Aſperſis demum oleo ſanguine mixto ſacerdotibus, veſtibuſque, cæremoniæ finis impoſitus eſt. Subſequentibus tamen ſeptem diebus iidem ritus quoad ſacrificia, unctiones, & aſperſiones innovati ſunt, non tamen quoad veſtimenta,

quan-

quantum apparet; quo temporis ſpatio Sacerdotes ab Atrio Tabernaculi nunquam receſſerunt.

IV. An autem initiandis poſt Aaronem ſummis Pontificibus, eadem præſtarentur, obſcurum. Nullum ſane ejus rei exemplum legimus. Facile ſolemnibus præcedentis Pontificis indutus Succeſſor, continuo ſummus Pontifex habebatur; quod poſt Aaronis obitum in Succeſſore initiando obſervatum videtur (*a*). Cum enim eorum dignitas e patre in filium deſcenderet, ea unctio neceſſaria non cenſebatur. Nonnulli tamen additam unctionem malunt; quam cæremoniam ad captivitatem uſque obtinuiſſe, contendunt. Quod de ſummo Sacerdote, idem & de vulgarimus dicimus, nulla enim deinceps pro ipſorum conſecratione ſpecialis cæremonia ſervata occurrit. Si tamen crimen aliquod admiſiſſent, quo ab exercitio ſui muneris diutius arcerentur, iterum admittendis nova cæremonia opus erat. Hac etiam conſecratione initiabantur, qui nunquam, ſive ſero nimis munus obiviſſent (*b*). Quo autem ritu initiatio illa conſtaret, non divinarem. Facile tamen adhibita fuit vulgaris tantum ſanctificatio, nempe expiatio a legalibus ſordibus; ſine qua Sancta contingere nefas erat. De Levitarum conſecratione alibi agemus; ſiquidem nonniſi poſt menſem a Sacerdotum conſecratione peracta eſt.

Sacerdotes deinceps non conſecrabantur.

V. Evoluta conſecrationis hebdomada, Aaron

Aaron, & filiis prima Sacrificia offerentibus ignis cælitus exarſit.

I 3

(*a*) Num. xx. 25. & xxxv. 12.
(*b*) 2. Paralip. xxix. 34.

ron ex Moyſis juſſu ſacra operari incipiens, varia pro ſe, populoque Sacrificia obtulit Deo, filiis operam ſuam ipſi præſtantibus (*a*). Dum victimæ arderent in Altari, Moyſes, & Aaron in Sanctum ingreſſi ſunt; ſtatim autem ac inde pedem retulerunt, & fauſta populo imprecati ſunt, ignis celeri flamma e cælo, vel e Tabernaculo promicuit, ſeſeque igni in Altare jam flagranti conjungens, priſtinam urendi rationem felici adeo incremento auxit, ut victima Holocauſti & adipes, ſtatim omnia momento citius abſumerentur (*b*). Vulgari eo uſque igne uſus fuerat Moyſes, ſed in hoc primo Sacrificio ab Aarone oblato, Deus edito prodigio demonſtrare voluit, ſe auctore virum hunc electum fuiſſe in Pontificem, oblatumque ab eo Sacrificium ſibi eſſe gratiſſimum. Viſo hoc prodigio populus pronus in terram ruens debitas Deo gratias egit. Creditur ignis iſte perpetua flamma arſiſſe aduſque Salomonem, cum ſcilicet Deus novam flammam immiſit in dedicatione Templi, ab ipſo conſtructi (*c*). Viciſſim autem poſtremus hic perſeveravit ad uſque everſionem Templi per Chaldæos. Tunc autem in quadam ſpelunca celatus eſt, ubi poſt reditum e captivitate, prunarum loco deprehenſa eſt aqua craſſa & lutulenta. Sed Deus aquam illam in novum ignem reparans, id effecit, ut ſacra flamma non deeſſet uſque ad per-

ſecu-

(*a*) Levit. ix.   Mach. ii. 10.
(*b*) Levit. ix. 24. 2.   (*c*) 2. Paral. vii. 1.

ſecutionem ab Antiocho Epiphane excitatam (*a*).

VI. Veſpere ejuſdem diei, ut plerique volunt, alterum miraculum, ſed lugubre, infauſtumque, ſpectarunt Iſraelitæ (*b*). Nadab, & Abiu, duo ex Aaronis filiis, incenſum Domino ſuper Altare thymiamatis offerre volentes, vel incuria, vel errore, pro ſacris prunis, quas ex Altaris Holocauſtorum igne ſumere oportebat, thuribulis ſuis impoſuerunt alterius ignis, qui forte ardebat in Atrio ad uſum Sacerdotum, carbones. Statim flamma ab Altare Holocauſtorum, vel ut alii malunt ab Altare thymiamatis prodiit, quæ illos ſuffocavit, & partim etiam ambuſſit; facileque intimas tantum partes nobilioreſque corrupit, ut iis accidit, qui fulmine percuſſi intereunt. Sunt qui credant, obſequio quodam in ignem prodigioſum Altaris Holocauſtorum, aliunde prunas elegiſſe. Volunt alii, bonos illos Sacerdotes vino deceptos ſacro igne thuribula implere oblitos fuiſſe; quam quidem conjecturam inde deducunt, quod ſtatim vinum Sacerdotibus in Tabernaculo miniſtrantibus Deus interdixit. Defuncta cadavera honorifice ſepulcro tradita, ſacriſque velata indumentis condita, plures in eam ſententiam impulerunt, ut crederent, Nadab & Abiu Moyſi, qui funus illud curavit, levi tantum macula inquinatos apparuiſſe; in quam ſententiam ſanior Patrum, & Interpretum pars propendet, *Nadab, & Abiu abſumuntur.*

I 4 De-

(*a*) 2. Mach. 1. 18. (*b*) Levit. x. 1. & 11. 10.

Declaravit tunc Moyſes Aaroni Deum idcirco judicium illud in miſeros exercuiſſe, ut omnes docerentur, quam ſedulum, & attentum exigeret in Templo ſuo miniſterium; quod cum audiſſet Aaron, religioſo ſilentio juſtam Dei ultionem in filios ſuos veneratus eſt. Permiſit deinde Moyſes, ut ceteri omnes de Nadab & Abiu morte luctum agerent; ſed id Aaroni, & filiis omnino interdixit, jubens præterea, ne more ceterorum Hebræorum capitis crines penitus, & ad vivum novacula ſibi præciderent; neve dum in Tabernaculo ſacra operarentur, veſtimenta Religionis inſignia ſcinderent. Præcepit ad hæc ſub mortis pœna, ut toto miniſterii in Tabernaculo tempore abſtinerent a vino, & a meracis omnibus, quibus ebrietas induci poteſt; quo muneri ſuo præſtando ſana mente & judicio nunquam eſſent impares, aptique diſcernere inter purum, & impurum, ac populum in rebus, quæ ad Dei cultum pertinent, inſtruere. Jubenti tandem Moyſi, ut Aaron, ejuſque ſuperſtites filii Eleazarus, & Itamarus comederent illas ex ſacrificiis, tam pro peccato, quam pacifico, portiones, quæ ipſorum juris erant, repoſuit Aaron, ſe omnia igni Altaris cremanda tradidiſſe; quippe qui licere ſibi citra crimen non reputavit, in eo, quo tenebatur, de filiorum interitu mærore, victimas illas deguſtare: quibus Moyſes nihil oppoſuit.

Paſcha in deſerto celebratum. Singulæ Tribus cenſentur; omnium poſtremo, & ſeorſim Levitæ, qui & initiantur. Oblationes a Principibus factæ. Tubæ argenteæ.

C A P. X I.

I. DIE decimaquarta primi menſis, alterum poſt exitum ex Ægypto annum ineuntis, Iſraelitæ jubente Moyſe Paſcha celebrarunt (*a*); quod, ſi Rabbinis fides, ultimum fuit in deſerto. Nefas erat Judæis, niſi fuiſſent circumciſi ipſi, eoque Sacramento ſubjectos ſibi omnes obſignaſſent, Paſcha celebrare (*b*). Cum autem nati in deſerto infantes nulla tunc circumciſione initiarentur, inde inferunt, nullum præter hoc Paſcha populum in deſerto celebraſſe. Profecto varia Scripturarum teſtimonia innuere videntur, Moyſis ſanctionibus vel nihil, vel minus Judæos in deſerto obſecutos fuiſſe, arbitrario quodam Religionis genere uſos (*c*); nec jure ſane negaretur, plures eſſe Leges, quæ dum iter in ſolitudine haberetur, vix ac ne vix quidem ſervari potuiſſent. Accidit autem ut nonnulli ex Iſraelitis, qui ex curatis funeribus, vel ex mortuorum contactu maculam legalem contraxerant, Moyſem, & Aaronem convenientes interrogarent, an ſibi eſus victimæ paſcha-

Paſcha in deſerto celebratur.

(*a*) Num. IX. 1. 2. &c. rem. VII. 22. Amos V. 26.
(*b*) Exod. XII. 48. Vide Calmetum in Deut.
(*c*) Deut. XII. 8. Je- XII. 8.

ſchalis liceret. Moyſes rem ad Dominum referens; reſponſum accepit, ut vitiati omnes, & quicunque inſuper, ſeu in itinere poſiti, ſeu a regione ſua longe remoti, prohiberentur celebrare Paſcha loco & tempore ad id deſtinato, cæremoniam illam ad diem decimamquartam ſecundi menſis differrent. Spatium illud loci eximens a celebrando primo menſe Paſchate definiunt Rabbini XV. M. paſſuum, vel XV. leucis. Quæ ſi vera ſtatuantur, nimis in immenſum creſceret numerus Iſraelitarum eo privilegio utentium, cum eorum regio porrigeretur in longum amplius ſexaginta leucas, & amplius triginta in latum.

Tribus cenſentur. II. Prima die ſecundi menſis Moyſes ex Dei mandato cenſum inſtituit (*a*). Tota igitur gente in duodecim Tribus diviſa, Tribus illæ diſtributæ ſunt in majores familias e filiis proxime natis ex Patriarcha ſingularum Tribuum auctore: ampliores autem illæ familiæ in privatas alias & minores familias pariter diſtinctæ, quarum cenſa ſunt capita, & nomina. Soli mares viginti ætatis annis ſuperiores, & ſexaginta inferiores, qui ferendis armis pares putantur, adſcripti ſunt. Porro in hoc luſtro tot inventi ſunt, quot in altero, ſeptem antea menſibus celebrato, videlicet ſexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta. Sive quod nemo per id temporis deceſſerit, ſive quod decedentium numerum æque impleverint illi, qui interim ætatem militarem ingrediebantur; ſive tandem, quod diſcrimen inter

(*a*) Num. 1. 1.

inter utrumque illum cenſum tam leve eſſet, ut ne adſcribendum quidem reputaretur. Profecto numeri inæquales, fractique, & quinquaginta inferiores nequaquam adnotantur. Fert multorum opinio, hunc cenſum ideo ductum fuiſſe, quod cum populus iter ſuſcepturus eſſet in Chanaanitidem, res poſceret ut Moyſes, & ſecundi ab illo populi duces noſſent, quot capita haberent ſinguli ſub ſignis per Tribus, quotque per familias, domuſque ſecundarias, quo in profectionibus, & caſtramentationibus, expeditionibuſque ordo ſervaretur. En nomina Principum, & numerus hominum, qui ſingulas Tribus conſtituebant.

Elieſer filius Sedeur ex Ruben habebat ſub ſe quadraginta ſex millia virorum & quingenta.	46500.
Salamiel filius Suriſaddai ex Simeon.	59300.
Nahaſſon filius Aminadab ex Juda.	74600.
Nathanael filius Suar ex Iſſachar.	54400.
Eliab filius Helon ex Zabulon.	57400.
Eliſama filius Ammiud ex Ephraim.	40500.
Gamaliel filius Phadaſſur ex Manaſſe.	32200.
Abidam filius Gedeonis ex Benjamin.	35400.
Ahiezer filius Amiſaddai ex Dan.	62700.
Phegiel filius Ochran ex Aſer.	41500.
Eliaſaph filius Duel ex Gad.	45650.
Ahira filius Enan ex Nephtali.	53400.
Omnium ſumma.	603550.

III. Quærunt autem Interpretes, qua ratione Principes illi electi fuerint. Cenſent non- *Qua ratione Principes Tribum electi.*

nonnulli, illos primores fuiſſe natu in ſingulis Tribubus, vel ſaltem cujuſque ampliſſimæ in ſingulis Tribubus familiæ ſeniores. Malunt alii, poſteros fuiſſe per rectam lineam a primoribus Patriarchis deductos. Aliis tandem ſuccurrit, Principes hoſce ſelectos fuiſſe virtutis, & meriti ſuffragio, non ſanguinis, aut ætatis, ſub quibus Centuriones, Pentacontarchi, inferioreſque exercitus Præfecti mererent.

Tribus Levi Tabernaculi ſervitiis deſtinata in peculiarem cenſum refertur.

IV. Noluit Deus, ut Tribus Levi in communem cenſum referretur, aut Reipublicæ oneribus, militaribuſque ſervitiis eſſet obnoxia; quippe quam Deus ceu propriam familiam ut ſibi inſerviret in Tabernaculo ſub Sacerdotum imperio deſtinarat (*a*). Ex quo Deus primores natu Hebræorum e gladio Angeli exterminatoris, ſævientis in majores natu Ægyptiorum, exemit illæſos, reſervavit ſibi in Iſraele quidquid eſſet primum natu tam hominis, quam brutorum, palamque edixit, ut vel ſibi traderent, vel pretio redimerent. Jus illud Dei perſeveravit in Hebræis quoad mares omnes, qui deinde nati ſunt. Verum quoad primores natu agentes tunc in vivis, cum Angelus per Ægyptum diſcurreret, Deus in pretium redemptionis illorum totam Tribum Leviticam elegit, ſibique reſervavit. Porro privilegia Tribus Levi accepta referre videtur Scriptura ſtudio & fidei, qua Levitæ ultionem injuriæ irrogatæ Domino ab impiis cultoribus vituli aurei, proſequuti ſunt (*b*). Quibuſdam tamen me-

(*a*) Num. I. 49. & III. 1. 2. &c.

(*b*) Exod. XXXII. 29. Deuter. XXXIII. 9.

merum eſt putumque Dei largitoris beneficium, cui placuit ex ſua benignitate Sacerdotium aſſerere familiæ Aaronicæ ante præſtitum vitulo aureo cultum, cum ſcilicet Deus Moyſi conſtituit leges ab Aarone ejuſque filiis ſervandas, docuitque, quibus veſtibus induerentur, quove conſecrarentur ritu. Ne uno quidem verbo Tribus Levi deſignata tunc eſt; ſed ex quo Sacerdotium in una ex illius Tribus familiis ſtatutum eſt, cetera ejuſdem Tribus decora perinde habentur, ac prioris illius appendices. Hæc ingerunt hujus ſententiæ aſſertores.

Qui, & qua ratione Levitæ cenſiti.

V. Levitarum cenſus eadem ratione inſtitutus eſt, qua ceterarum Tribuum alter; diſtributa eſt enim in majores familias, quæ veluti parentes erant minorum, tum & minores illæ a prioribus ortæ, diviſæ ſunt; tandem deſcripta ſunt nomina virorum unius menſis ætate majorum. Cum ſumma Levitarum idcirco duceretur, ut veluti permutatione quadam par numerus primorum natu ceterarum Tribuum compenſaretur, nulla habita eſt ratio, an Levitæ illi ætatem agerent ſeu ad arma ferenda, ſeu ad præſtanda munera Tabernaculi idoneam; ſed cenſi ſunt omnes indiſcriminatim uno menſe majores (*a*).

Levitarum numerus.

VI. Omnes igitur poſteri Levi, per tres illius filios, Gerſon, Chaat, & Merari deſcendentes, dinumerati ſunt. Gerſonitæ implebant numerum 7500. quibus deferendi in itinere vela, & cortinas Tabernaculi, ſub Elia-ſaph

(*a*) Num. IV. 39.

ſaph filio Laelis munus demandatum eſt. Caathitæ numero 8600. Tabernaculi vaſa, Arcam ſcilicet, Altaria, Candelabrum, Menſam auream & labrum deferebant. Quæ tamen erat in eas res, ac maxime in Arcam religio, non ſinebat, ut nuda permitterentur ſeu contactui, ſeu aſpectui Levitarum; quare ab Aarone, ejuſque filiis prius obvolvenda erant integumentis, tum vehenda Levitis permittebantur (*a*). Caathitis præerat Eliſaphan filius Ozielis. Meraritæ turba 6200. vehendis tabulis Tabernaculi, vectibus, columnis, baſibus, epyſtiliis, funibus, & paxillis deſtinata, parebat Suriel filio Abihaielis. Tribus autem hiſce familiarum Principibus Eleazarus Aaronis filius præſtabat, idemque ille in Levitas habebat imperium, quod pater ipſius Aaron in Sacerdotes (*b*). Porro ex ſumma Levitarum hic ducta reſultat numerus viginti duum millium trecentorum. Poſt Levitarum cenſum præcepit Deus, ut omnes primores natu Iſraelis, qui menſem evaſiſſent, in peculiarem cenſum & ipſi referrentur. Cum autem invenirentur primores illi excedere Levitas numero hominum ducentorum ac ſeptuaginta trium; edixit Deus, ut capita illa reliqua, quæ pari numero Levitarum rependi non valuiſſent, quinque ſiclis in ſingula redimerentur (*c*): quo ſumptu nonnulli oneratos ex æquo volunt ſingulos e populo, ut totum pretium e communi ſolveretur. Alii ſorte electos fuiſſe malunt,

(*a*) Num. IV. 5. 6. &c.
(*b*) Num. III. 32.
(*c*) Num. III. 46.

ſunt, qui ſolverent viritim quinque ſiclos: ſed nihil ea de re Scriptura.

VII. Secundum hæc, inſtitutus eſt cenſus illorum Levitarum, quorum ætas intra trigeſimum, & quinquageſimum annum clauſa, vehendis Tabernaculi ſarcinis apta reputabatur; inventique ſunt octomillia quingenti octoginta (*a*). Levitæ tamen intra atrium admittebantur, cum vigeſimum quintum annum ætatis agerent, ut minora præſtarent, ac genus quoddam tyrocinii ſub diſciplina ſeniorum Levitarum exercerent (*b*). Quin Davidis ætate, & deinceps poſt illum, annus tantum vigeſimus ſufficiens erat (*c*); cujus rei in cauſa forte fuit, quod Templi & cæremoniarum majeſtas ingentem Levitarum numerum poſceret. Quamvis autem poſt exactum annum quinquageſimum ceſſarent Levitæ ab operibus laborioſis, minime tamen a magis ingenuis, expeditiſque, quippe advigilabant, intentoſque habebant oculos in Levitas juniores, inſpecturi quid operis, & quomodo ab illis præſtaretur in Templo.

Levitarum exercitium quam ætatem poſtulabat.

VIII. Ita ſeparatis, & in cenſum relatis Levitis, ad illorum conſecrationem ventum eſt. Hæ autem in eam rem adhibitæ ſunt cæremoniæ (*d*). Aqua luſtrali expiati, totoque corpore abraſi, ac lotis tandem veſtibus, præ foribus Tabernaculi coram multitudine ſtatueban-

Levitarum conſecratio.

(*a*) Num. IV. 3.
(*b*) Num. VIII. 24. Maimon. Abenezra, Lyran. Eſt. &c.
(*c*) 1. Paral. XIII. 4. 2. Paral. XXVI. 17. Eſdr. III. 8.
(*d*) Num. VIII. 7.

bantur. Hinc populi Optimates manus illis imponebant; quo facile ſignificabant, populum offerre Deo Levitas, ut ſuo loco illi ſervirent, & onerare ſe illos coram Domino culpa eorum omnium, quæ forte minus religioſe committerentur in miniſterio, cui homines illos deſtinabant. Aaron accitos ad ſe Levitas Domino offerebat; movens illos, ac vertens ritu illi ſimili, qui ſervabatur in aliis oblationibus coram Domino agitatis. A Levitis tandem geminis bobus eo adductis manus imponebantur, ſtatimque alter in holocauſtum, alter in victimam pro peccato cadentes, cæremoniæ finem imponebant.

Plauſtra Levitis data.

IX. Eadem die, qua initiati ſunt Levitæ, vel paulo poſt, Tribuum Principes totius populi nomine obtulerunt Moyſi ſex plauſtra tecta, totidemque boum juga, quibus illa traherentur (*a*). Gemina ex iis Moyſes tradidit Gerſonitis, quatuor reliqua Meraritis, juxta numerum, & pondus rerum ad Tabernaculum pertinentium, quæ illis vehendæ commiſſæ fuerant. Caathitis nulla data plauſtra, quod Tabernaculi velis & cortinis ferendis impares non eſſent. Ceterum quatuor plauſtra Meraritis data, multo inferiora eſſe quam pro neceſſitate, intelliges, ſi memineris, eorum curæ traditos aſſeres, columnas, earumque baſes, & epyſtilia, vectes Tabernaculi, funes, & paxillos. Si quis unice ſupputet pondus metalli impenſi in baſes epyſtilia & ornamenta columnarum, aſſerum quoque & vectium, red-

(*a*) Num. VII. 1. 2. &c.

redderentur illi 29. talenta auri, 100. argenti, 2700. æris; quæ ſimul omnia æquant 274875. libras Romanas duodecim unciarum. Adde iis 64. columnas, 15. vectes, 48. aſſeres (*a*).

X. Non contentus Deus iis, quæ Tribuum Principes ſponte obtulerant, præcepit Moyſi, ut a ſingulis per duodecim conſequentes dies, in ſervitium Altaris mox dedicati, alia exigeret munera. Prima igitur die Nahaſſon Princeps Tribus Judæ omnium primus obtulit duo vaſa argentea plena farina oleo ſubacta, quorum alterum acetabulum dictum, habebat ponderis 130. ſiclos, alterum vero phiala, 70. Dedit & mortariolum aureum pondo decem ſiclis, incenſo plenum. An Thuribuli, vel acerræ, aut cochlearis, quo ſuffitus ſumeretur, figuram retulerit, ignoratur. Bovem inſuper adduxit, arietem, & agnum in holocauſtum; boves duos, arietes quinque, quinque hircos, & quinque agnos in ſacrificium pacificum. Porro quæ Nahaſſon prima die præſtitit, alii deinceps ſua quiſque per ordinem die pariter præſtiterunt.

Oblationes Tribuum Principibus præceptæ.

XI. Juſſus etiam eſt per id temporis Moyſes, ut geminas tubas argenteas conflaret, quibus uni tantum Sacerdotes uterentur. Utraque tuba ſimplici, & æquali ſono clangente, cœtus generalis populi ad Tabernaculi fores vocabatur (*b*). Si unica tantum tuba daret ſignum, Principes populi ſoli conveniebant. Cum prolixior atque conciſus clangor obſtreperet,

Tubæ argenteæ.

K quem

(*a*) Janſen. hic. (*b*) Num. x. 3. 7.

quem *taratantara* imitari quidam volunt, caſtra movebantur; ita tamen, ut ad primum ejuſmodi ſonum, qui circa Tabernaculum ad Orientem tentoria habebant, omnium primi itineri ſe darent; ad ſecundum, qui Meridiem tenebant; ad tertium, qui Occidentem; ad quartum denique, qui Septentrionem. Tubis pariter Sacerdotes dabant præliorum ſignum, invitabantque ad Sacrificia, & convivia ſolemnia. Non ſatis autem exploratum eſt, an tubæ quibus Jubilæum, Anni novi initium, & Neomeniarum exordium annunciabatur, eædem eſſent atque hæ, quas modo verſamus: Facile tamen ad varios illos uſus geminæ iſtæ tubæ olim valebant. Succeſſu deinde temporis novæ ſubinde, & novæ additæ ſunt, ut Joſue Jerichuntem obſidente ſeptem numerarentur (*a*). In dedicatione Templi Salomonis 120. Sacerdotes bucinis clangebant (*b*). Sacras Tubas deſcribens Joſephus, inſtrumentum muſicum a noſtris non diſſimile, niſi quod curvum nihil haberet, depingit (*c*).

(*a*) Joſue VI. 4.
(*b*) 2. Paral. V. 12.
(*c*) Antiq. l. 3. c. 11.

Jethro venit in caſtra, cujus conſilio Moyſes Miniſtros adlegit. Iſraelitæ moventes e Sinai ordinate procedunt. Incenſio, ſepulcra concupiſcentiæ, Collegium 70. Seniorum, Aaronis & Mariæ murmur in Moyſem.

C A P. XII.

I. ADhuc populus ad radices montis Sinai morabatur, cum Jethro Sacerdos Madian, auditis prodigiis, quæ Deus educendis Iſraelitis ex Ægypto patrarat, ad Moyſem generum ſuum in caſtra ſuperveniens, Sephoram ipſius uxorem, duoſque filios Gerſom, & Eliezer adduxit. Igitur Jethro de adventu ſuo per nuncios Moyſem admonuit, a quo extra Caſtra honoris gratia, procedente exceptus, poſt mutuas amoris, ac venerationis ſignificationes, in Tentorium deductus eſt. Ibi enucleatius audita de rebus Iſraelitarum hiſtoria, primo Domino gratias egit, deinde holocauſta, & hoſtias pacificas, propria facile manu, obtulit: quibus peractis una cum Moyſe, Aarone, & Optimatibus populi convivium coram Tabernaculo celebravit.

ANNUS MUNDI 2514. ante Chriſtum 1486. *Adventus Jethronis in caſtra.*

II. Mane ſequentis diei Moyſi audiendis cauſis totius Iſraelis incumbenti, totaque die in ea re laboranti, ſuaſit Jethro, ut adjutoribus ejuſdem operis electis viris, recti juſtique tenacibus ſe ſe ab immani minuta quæquæ cognoſcendi labore levaret, arduiſque negotiis opportune ſe reſervaret. Moyſes conſilium probans,

Conſilium Jethronis de eligendis miniſtris Moyſi probatur.

bans, viros optimos ſelegit, quos ſuper populum, alios ſuper mille, alios ſuper centum, alios ſuper quinquaginta, ac tandem alios ſuper decem conſtituit. Ad illos Judices minores vulgareſque cauſæ deferebantur, arduas vero Moyſes cognoſcebat.

Hobab apud Moyſem remanet.

III. Moturus vero e Sinai Moyſes Socerum rogavit, ut cum populo maneret, Dux in Palæſtinam futurus. Quamquam enim nubis ductum ſequeretur, quæ & profectiones, & ſtationes ſignabat, adhuc tamen humana auxilia negligere æquum non reputavit. Verum ille regreſſum in patriam cauſatus, pro ſe filium Hobab reliquiſſe ferunt, cui explorata erant deſerti loca, quæque paſcui, & exercitui commoda eſſent vel incommoda. Ex hoc autem Hobabo genus duxiſſe Cinæos credimus, quibus portionem fuiſſe in Chanaanitide exploratum eſt (*a*).

Iſraelitæ movent e Sinai. Ordo in profectionibus ſervatus.

IV. Die 20. menſis ſecundi, Majo & Junio, alterius poſt egreſſum ex Ægypto anni, reſpondentis, columna nubis, quæ Iſraelitas præcedebat, movente, Moyſes una cum populo Pharam verſus iter inſtituit (*b*). Cum autem elevaretur Arca, hanc precem fundebat Moyſes: *Surge, Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te a facie tua*: cum vero deponeretur: *Revertere Domine ad multitudinem exercitus Iſrael*. Hoc autem ordine procedebat exercitus. Tribus Juda, Iſſachar, & Zabulon incedebant omnium primæ; ſecun-

(*a*) Exod. XVIII. 27. Num. x. 29. Judic. I. 16.

(*b*) Num. x. 33.

ſecundæ Ruben, Simeon, & Gad; ſuccedebant Levitæ Arcam Domini, & utenſilia deferentes, quorum latera ſtipabant Ephraim, Manaſſes, & Beniamin; tandem omnium poſtremi veniebant Dan, Aſer, & Nephthali (*a*). Sub ſignis ſeu vexillis iter habuiſſe Iſraelitas, Moyſes diſerte affirmat; ſed quid ea de re cogitandum ſit, ignoramus. Non incongrue tamen reputamus, unum fuiſſe generale vexillum, toti exercitui commune; & præter illud ſuum aliud habuiſſe ſingulas Tribus. His privatum alterum quidam addunt, pro ſingulis turmis e mille, e centum, e quinquaginta. Hebræi Doctores, aliique commentariorum Scriptores plura venditant de vexillis hiſce Iſraelitarum in deſerto. Affirmant, ſingulas Tribus ſignum prætuliſſe ſericeum coloris ejus gemmæ, quæ cælatum referebat nomen ejus Tribus in Rationali ſummi Sacerdotis; hoc autem vexillum, phrygio opere pictum, exhibuiſſe emblema quoddam, ſpectans Patriarcham, qui nomen ſuum Tribui dederat. Tribus Juda exhibebat Leonem; Ruben caput hominis vel cervum, ut aliis placet; Ephraim caput vituli, vel puerulum; Dan Aquilam ſerpentem tenentem. Hæc porro ſunt vexilla quatuor potiſſimarum Tribuum, quibus minores accedebant. Nimirum Tribus Juda ſub ſuo vexillo habebat Iſſachar & Zabulon; Tribus Ruben, Simeon & Gad; Ephraim, Manaſſe & Beniamin; Dan tandem Aſer & Nephtali. Hæc veteres Hebræi: ex quo pronum eſt inſer-

(*a*) Num. II. I. 9. 16. 24. 31.

inferre, perperam ab ipſis dici, apud Moyſem omnes imaginis genus damnatum fuiſſe.

Caſtrorum extrema incenduntur.

V. Haud multum e Sinai diſceſſerant Iſraelitæ, & forte primam, vel alteram ſuſcepti itineris diem non abſolverant, cum querelas in Deum movere cœperunt, quid nimio, ut vult S. Hieronymus, itineris labore defatigarentur (*a*). Deus his oblocutionibus laceſſitus, igne in eos immiſſo, ſive ex aere, tonitru nempe & fulmine, ſive e terræ viſceribus, ſive tandem e columna nubis, caſtrorum extrema, in quibus ſeditioſi continebantur, abſumpſit. Orante autem Moyſe flamma extincta eſt. Inditum loco nomen *Tabeera*, quod interpretatur *Incendium*, ſive *Incenſio*.

Sepulcra concupiſcentiæ.

VI. Triduo poſt mota e Sinai caſtra, venerunt in locum, qui deinde *Kiberoth-aba*, ideſt *Sepulcra concupiſcentiæ*, appellatus eſt, ubi pluribus diebus moram traxerunt. Hic populi querelæ, quas ignis repreſſerat, iterum erupere; viliſſimis enim quibuſdam Ægyptiorum capitibus, ex Ægypto una cum populo egreſſis, adhærentes Iſraelitæ, turmatim, atque ſeditioſe adverſus Moyſem prorumpentes, quiſque ſe ante oſtium Tentorii ſui ſtatuebat, lamentabaturque, nihil ſe intueri niſi Mannam, nihilque expectandum ſibi ſupereſſe præter ejuſmodi cibum, ac fruſtra recordari ſe carnium, piſcium, cucumerum, peponum, porrorum, cæparum, aliorumque, quibus dum in Ægypto verſarentur abundabant. De Ægypti oleribus non idem judicium ferendum, ac de no-

(*a*) Num. XI. I.

noſtratibus. Cæpas vel crudas in Africa & Græcia ſuaviſſimas eſſe, teſtantur Itinerantes. Juvenalis Ægyptiorum ſuperſtitionem ita deridet.

Porrum & cæpe nefas violare, aut frangere morſu.
O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina! ....(*a*),

Addit Ovidius abſtinuiſſe Ægyptios, non ſecus ac Syros, a piſcibus.

Piſcis adhuc illi populo ſine fraude natabat,
Oſtreaque in conchis tuta fuere ſuis (*b*).

Sed Ægypto ſuperſtitionem eo uſque increviſſe jam inde a Moyſis ætate, non credimus. Populi querelis ſauciatus animo Moyſes, vulnus ſuum apud Deum detegit, faſſuſque ſe tanto populo regendo imparem eſſe, rogat, velit e mortalibus ſe ſubducere, ne cogatur infelix teſtis ſpectare illas animi ingrati ſignificationes, aut ne majori prematur anguſtia & dolore, viſa populi obmurmurantis cæde in pœnam ejus ſceleris.

VII. Pronas exhibuit Deus aures precibus Moyſis, juſſitque eligeret 70. viros, ætate & ſapientia ſpectabiles, conſtitueretque ante Tabernaculi fores, quos eodem prophetandi, quo ipſe præditus erat, ſpiritu implere volebat, ut in partem publici regiminis venientes, Moyſem ipſum onere levarent. Addidit præterea, ut populo luſtrationem indiceret, quo dignos ſe exhiberent Iſraelitæ præſentia Dei, valerentque altera die accipere quem maxime optarent cibum, tantas ſcilicet carnes, ut ad *Collegium 70. Seniorum.*

K 4 men-

(*a*) Juven. Satir. xv. (*b*) Ovid. Faſtor. VI.

menſem ſufficerent, & nauſeam etiam ingererent. Stupentem Moyſem, ac pene de illa carnium promiſſione dubitantem, confirmans Deus: Numquid, ait, manus Domini invalida eſt? Brevi intelliges, utrum fruſtra fidem tuam meis verbis addixeris. Porro Moyſes omnia ad populum detulit; cumque 70. a ſe electos viros ante fores Tabernaculi conſtituiſſet, novo ſe illi prophetiæ ſpiritu impletos ſenſerunt tum in hoc, tum in aliis eventibus, cum ſupernaturale lumen rei alicujus contingentis neceſſitas exigeret. Porro Eldad, & Medad, quamvis inter 70. eſſent adſcripti, non aderant cum ceteris ante Tabernaculum, ſed remanſerant in caſtris, ſive quod a nemine admoniti fuerint, ſive quod res aliqua illos detinuerit, ſive quod modeſte de ſe ſentientes, non auſi fuerint pedem eo inferre. Non ſecus tamen ac ceteri, ſubito Spiritus ſancti illapſu in caſtris prophetare cœperunt, hoc eſt, quantum putamus, laudes Dei, ac pietatis, ſapientiæque plena verba præter morem affati ſunt. Prophetia enim apud Scripturam ſacram non ſemper futurorum prædictionem ſignificat. Quidam adoleſcentulus cum prophetantes illos audiſſet, rem totam ad Moyſem detulit. Joſue veritus, ne quantum gloriæ illis accederet, tantum Moyſi detraheretur, ipſum rogavit ut eis ſilentium indiceret. Noluit Moyſes, optare ſe quin dixit ut omnis populus eadem prophetandi prærogativa a Deo donaretur. Vetus quidam fabulator librum, horum Prophetarum nomine inſcriptum, ſuppo-

poſuit, cujus extat apud Hermam fragmentum: *Prope eſt Dominus convertentibus, ſicut ſcriptum eſt in Helda, & Madad, qui vaticinati ſunt in ſolitudine populo* (*a*). Addunt Hebræi, inter prophetandum pronunciaſſe illos Moyſis obitum, & futuras Gog, & Magog perſecutiones.

VIII. Promiſſioni de carnibus in deſerto ſufficiendis ſua quoque fides ſtetit. Vix enim Moyſes ad Tentorium ſuum e Tabernaculo diſceſſerat, cum meridionali vento rapiente, tantæ immiſſæ ſunt coturnices, ut late caſtra opplerint, tantumque inſuper circa ſpatii, quantum iter diei, occuparint. Cum enim illæ inter volandum duobus tantum cubitis ſupra terram aſſurgerent, facile cujuſque manibus capiebantur. Populus vero brevi illas abſumere non valens, ſolaribus radiis expoſitas ſiccarunt, ut putredini ſubtractæ, ſuccedentibus quoque diebus uſui eſſe poſſent. Aſſerit Moyſes, eos qui parciſſime collegiſſent, ſepoſuiſſe ſibi ut minimum decem *coros*, ſive *chomer*. 800. ſcilicet noſtratum librarum, coturnicum; quare ſtatuendum eſſet, Iſraelitas ſingulos tantum ſibi paraſſe carnium, quantum non ad menſem dumtaxat integrum, ſed ad centum dies voraciſſimis quibuſque ſufficeret. Cum autem hæc fidem ſuperare videantur, apta nodi reſolutio quærenda eſt. Reputat Bochartus (*b*), non ſingulos Iſraelitas, ſed ſingulas familias ſeponere ſibi potuiſſe ut mini-

Coturnices.

(*a*) Hermas, ſive Paſtor l. 1. viſione 2. c. 5.

(*b*) De Animal. ſacr. p. 2. l. 1. c. 15.

nimum decem coturnicum coros. Addit, pro *chomer*, quod corus redditur, legi poſſe *chamor*, quod aliquando eſt acervus. Profecto corus menſura eſt metiendis avibus minus apta, cum adhiberi ſoleat ad liquida tantum, ſive frumenta metienda. Opinioni eorum, qui pro coturnicibus locuſtas accipiunt, ſavet utique illud, quod hic narrat Scriptura, Hebræos ſcilicet coturnices ſiccaſſe per gyrum, hoc eſt Soli expoſitas; coturnices enim Soli expoſitæ ſtatim ebulliiſſent vermibus. Singularem tamen ſententiam non admittimus (*a*).

Deus intemperantes punit. IX. Coturnices adhuc dentibus terebantur, cum Deus ſontes mulctavit, tantamque edidit eorum ſtragem, ut loco nomen maneret *Sepulcra Concupiſcentiæ*. Sed quo mortis genere miſeri illi ceciderunt? Peſte reputant nunnulli; malunt alii pthiſi, vel macie; ſunt qui ſtant pro igne. His addunt quidam, ſtomachum Iſraelitarum, mannæ aſſuetum toto jam anno, quæ leviſſimus eſt cibus, cum ſubito gravaretur cibo illo nimis ſolido, e coturnicibus præparato, officio ſuo defuiſſe; huic autem malæ corporis habitudini cum ultrix Dei manus acceſſiſſet, affectos Iſraelitas interiiſſe.

Aaronis & Mariæ murmur. X. Dum Hareroth populus peteret, Aaron & Maria de Moyſe obloqui cœperunt propter uxorem ejus Ethiopiſſam. Hanc feminam vulgo credunt fuiſſe Sephoram, filiam Jethro Madianitidis, quam ſibi Moyſes deſponderat. Madian enim regio eſt, quæ alio nomine Cus,

ſive

(*a*) Exod. XVI. Num. c. 4. n. 3. XI. 32. Vide ſupra l. 3.

ſive Ethiopia dicebatur. Alii autem putant fuiſſe Tharbim, filiam Regis Ethiopiæ, quam Moyſem duxiſſe poſt captam Meroen, tradit Joſephus (*a*). Hujus murmuris cauſa ignoratur. Sunt qui putant, Moyſem a femina illa, ad prodigium uſque venuſta, ſe ſe ſegregaſſe, vitamque duxiſſe cælibem; idque Aaroni & Mariæ diſplicuiſſe. Alii ſuſpicantur, conciliatas cum femina alienigena nuptias, peſſimo exemplo Iſraelitis futuras, querelarum cauſam fuiſſe: vel ſaltem eos improbaſſe, quod Moyſes Sephoram ſemel dimiſſam, & patri ſuo reſtitutam, iterum in thorum adſciſceret. Plerique tamen malunt, feminam illam, viri ſui decora, atque apud Deum gratiam jactantem, invidiam Aaronis & Mariæ excitaſſe: id quod ex Mariæ verbis ea occaſione prolatis, ſatis intelligere videmur: *Num per ſolum Moyſem loquutus eſt Dominus? Nonne & nobis ſimiliter eſt loquutus?* (*b*).

Maria lepra punita.

XI. Deus patrocinio Moyſis, omnium mitiſſimi, ſuſcepto, ſancto illi viro, Aaroni, & Mariæ, ut ſe Tabernaculo ſiſterent, imperavit. Cum eo ſimul conveniſſent, Dominus in columna nubis deſcendens, atque præ foribus Tabernaculi adſiſtens, Aaroni & Mariæ dixit, ceteris Prophetis ſe in viſione, & per quietem loqui, Moyſi vero tantum revelata facie, atque ambagibus & ænigmatibus remotis, arcana veritatis aperire, atque ſuam gloriam manifeſtare; debuiſſe proinde eos tantum vi-

(*a*) Vide ſupra l. 3. c. 1. n. 5.

(*b*) Num. 12.

virum, cui etiam çeu fideliſſimo œconomo domus ſuæ curam demandarat, revereri. His dictis nubes ad conſuetum ſuper Tabernaculum locum ſe ſe recepit, & Maria continuo lepra nivis inſtar reſperſa apparuit. Eo aſpectu territus Aaron, Moyſem oravit, ut pœnam illam, & culpam ab utriſque deprecaretur, neve ferret, ut ſororis corpus ceu cadaver quoddam & abortivus fetus, tabe conſumeretur. Moyſi in preces effuſo reſpondit Deus, oportere ut ſoror ipſius integram ſaltem hebdomadam extra caſtra compleret, cum totidem ſaltem diebus a conſpectu patris abſtinere debuiſſet, ſi in faciem ejus ille excreaſſet. Igitur Maria per hebdomadam extra caſtra, quaſi remota ab oculis Domini, qui illam lepra ceu ſputi ignominia affecerat, ſe continuit, nec populus inde movit, donec illa regrederetur.

Exploratores in Palæſtinam mittuntur. Populi ſeditio. Sontes ſpe potiundæ Chanaanitidis mulctantur. E Cades-Barne movent Hebræi, quo poſt longam deſerti peregrinationem revertuntur.

CAP. XIII.

Exploratores in Chanaanitidem mittuntur.

I. CAdes, ſeu Cades-Barne urbs erat, quantum videtur, in finibus Idumææ & Chanaanitidis ſita, adſcribiturque modo deſerto Sin, modo deſerto Pharan, quod ſcilicet in alterutro ex his deſertis ita conſideret, ut pro-

proxima alteri quoque accederet. Huc ventum erat, cum Moyſes palam Iſraelitis denunciavit, nihil ſupereſſe illis aliud, quam ut pedem in Chanaanitidem inferentes, in dominium promiſſæ ſibi a Domino regionis venirent (*a*). Populus, veluti ſi minus Deo crederet, vel metueret, ne in diſcrimine ab eo deſereretur, dicentem convenit, rogavitque, ut mitterentur prius viri quidam ſelecti, qui terram illam explorarent. Huic conſilio ut Moyſes aſſenſum præberet, Dominus præcepit. Duodecim igitur numero exploratores, ſingulos e ſingulis Tribubus Moyſes miſit in Chanaanitidem, mandatis oneratos, ut conſiderarent, qui tractus eſſent regionis uberrimi, qui ſteriles, unde facilis acceſſus, unde difficilis, qui mores, quæ vires, quod vitæ genus, quæ ratio gerendi bella, quæ politia, quæ urbium defenſio. Moventes e caſtris, & fere ſequuti curſum Jordanis, proceſſerunt uſque Rohob, urbem ad radices Libani in extrema ora ſeptentrionali Terræ Sanctæ, juxta viam in Emath. Inde flectentes, mediam regionem peragrarunt ſecundum loca Sidoniorum, & Philiſtæorum; ac tandem redituri in caſtra, aſcenderunt Hebronem verſus, locum & Abrahami mora, & ſede Gigantum e ſtirpe Enach commendatum. Inde per vallem profecti, quam perluebat torrens, qui poſtea Eſcol, ſcilicet Botrus, appellatus eſt, ibi uvas, ficus, & malogranata carpſere, quæ in ſpecimen ubertatis ejus regionis oſtenderent. Por-

(*a*) Deuter. I. 20. & XI. 29. Num. XIII.

Porro uvarum racemus, quem inde tulerunt, tantæ molis erat & ponderis, ut tranſverſo vecte ſuſpenſum duo viri portarent. Intra ſpatium 40. dierum caſtris redditi, hæc ſparſerunt in vulgus. Regionem luſtravimus, re ipſa beatam, quam perluunt e lacte & melle fluentes rivi, exhibentque hujus indicium, quos inde retulimus, fructus. Sed viciſſim robuſtis incolis defenditur, urbeſque habet munitiſſimas, nec deſunt ex Enach Gigantes. Amalech tenet meridiana; Hevæi, Jebuſæi, & Amorræi montana; Chananæi ſecundum mare, & fluenta Jordanis regionem.

Populi murmur, & rebellio. II. Ad hæc, abire populus in murmur, aliis alii inſuſurrantes: Num id unquam aſſequemur, ut terram hanc redigamus in poteſtatem, quam validior nobis gens occupat? Sed Caleb ex Exploratoribus unus deſpondentes animis confirmare conabatur, aſſeverans, populum illum, ſi velint, facile expugnari poſſe. Contra alii exaggerantes hujus expeditionis difficultatem, dicebant: *Terra devorat habitatores ſuos*; hoc eſt, aer illius regionis pernicioſus eſt, inſalubriſque; vel melius: Illic bellis omnia abſumuntur. Neque enim credimus cum Hebræis nonnullis, Exploratores, quocunque veniſſent, incidiſſe in cadavera, quæ ſepulturæ mandarentur, Deo ita minuente numerum hoſtium Iſraelis. Addebant etiam viri illi ſeditioſi: Populus, quocum res agenda eſt, giganteam præfert ſtaturam, immaneſque adeo vidimus homines, ut eorum comparatione nos ſupra locuſtas non aſſurgamus. Ex-

Exclamare ad hæc populus, totaque nocte in gemitu perſeveratum eſt, & murmure in Moyſem, & Aaronem: Cur non cecidimus in Ægypto? Utinam hic ſaltem in deſerto pereamus. Quid prodeſt nobis, ut in hanc regionem veniamus, cum uxoribus & liberis pene omnibus morituri? Alios nobis conſtituamus Duces, & in Ægyptum revertamur. His auditis, Moyſes & Aaron coram multitudine in terram proni ceciderunt, Caleb vero, ejuſque in exploratione comes Joſue, ſciſſis veſtibus Iſraelitas ad ſaniora conſilia revocare conabantur, inſinuantes, illos nullo negotio hoſtes ſuperaturos, Deo ſub eorum ſignis pugnante. Fruſtra tamen omnia; quin & in illos procurſum eſt ad lapides.

Deus, ut omnes Iſraelitæ in deſerto moriantur, decernit.

III. Sed ecce repente gloria Domini Tabernaculo palam inſidens, vocem ſuam omnibus auſcultantibus ad Moyſem direxit, qua peſtem, & extrema omnia minabatur populo rebellanti, ipſum vero Moyſem genti majori, atque fortiori ducem futurum pronunciabat. Statim ad preces Moyſes, poſuitque ſub illius oculis, omnes gentes, apud quas mali exitus Iſraelitarum fama ventura eſſet, invidia Deum oneraturas, eique exprobraturas imbecillitatem; quaſi datam fidem deducendi in Chanaanitidem populum ſuum, non liberaſſet, eductoſque ex Ægypto in deſerto occidiſſet, quod hoſtes, qui illam regionem poſſidebant, ſuperare non valeret. His placatus Deus, multitudini quidem indulſit; ſed jurato affirmavit, futurum ut illius ſceleris rei, modo an-

num vigeſimum agentes in cenſum relatim fuiſſent, omnes in deſerto interirent. Hinc mandavit, ut univerſus populus relegerent viam verſus mare Rubrum, per eaſdem ſolitudines, per quas veniſſent, errarentque in deſerto 40. annos, pro 40. diebus, quibus Chanaanitis explorata fuerat. Animadvertere juvat, feminas, Sacerdotes, Levitas, pueroſque, ac adoleſcentes 20. ætatis annis minores, in cenſum relatos non fuiſſe; vero propius etiam eſſe, plures e ſexcentis virorum millibus amplius cenſis culpa illius murmuris reos non fuiſſe. Quidquid ſit de reliquis, in auctores defectionis, viros nempe qui ab exploranda Palæſtina venerant, exceptis Joſue & Caleb, qui in fide permanſerant, repentina morte animadverſum eſt (*a*). In memoriam rei geſtæ ſeptimam diem ſexti menſis eſurialem habent Hebræi.

Iſraelitæ Chanaanitidem invadere tentantes cæduntur.

IV. Exterminium, quod illum maneret, audiens populus primum in largos fletus erupit, dein ex nimia puſillanimitate in contraria ſtudia converſus, Moyſe nequidem reluctante, monenteque, Deum eorum conatibus abfuturum, vi tranſitum in Chanaanitidem tentavit. Verum Amalecitæ & Chananæi, qui, cum imminere regioni ſuæ Iſraelitas ſpectaſſent, cacumina montium occuparant, in illos ruentes cæde affectos aduſque urbem Hormam perſecuti ſunt. Arca tamen, & Moyſes, cujus exemplum religioſiſſimos e populo imitatos

(*a*) Num. XIII. 27. & XXXII. 18.

tos credimus, in caſtris perſeverarunt, dum alii hoſtem aggrederentur.

V. Poſt protractam diutius moram in Cades-Barne, motis caſtris ad mare Rubrum, ad Aſiongaber iter converterunt. Ex Aſiongaber, eadem forte via, iterum in Cades venerunt. Porro Aſiongaber, uti quidem nobis videtur, urbs erat in Arabia deſerta ad ſinum maris Rubri, quem Elaniticum appellant. In portu hujus urbis Salomon claſſem poſtea inſtruxit, in Ophir mittendam (*a*). Inter Cades & Aſiongaber 18. caſtramentationes numerat Moyſes, in quibus nil geſtum præter ſeditionem Core, & florentem Aaronis virgam, de quibus alibi ſermo inſtituetur. Iter illud ſpatio 38. annorum definimus. Annum enim circiter perſeverarunt in Cades-Barne; Annum pariter ſubſtiterunt in Horeb. Si autem duos hoſce annos addas triginta & octo, numerus quadraginta annorum fiet (*b*); quo quidem temporis ſpatio plures leges Moyſes rogavit, noſque hanc temporis intercapedinem ipſarum expoſitione implere curabimus.

Iter e Cades-Barne in Aſiongaber.

L LI-

(*a*) 3. Reg. IX. 16. (*b*) Deuter. II. 14.

LIBER QUARTUS.

Lex Moſaica omnium prima. Varia præceptorum genera. Num Hebraicæ cæremoniæ expreſſæ ſint ex Ægyptiacis, an e contra? Sacerdotum, & Levitarum munera, & proventus. Primitiæ & decimæ. Urbes ſacris Miniſtris aſſignatæ. Urbes Refugii. Nathinæi.

CAP. I.

Quarti libri argumentum.

I. POtiſſima hujus Libri pars omnes fere Hebræorum leges occupabit, diſtinctas tamen per capita, ac ſuo naturali ordine diſtributas. Cum enim frequentius interruptæ ſint, nec rarius repetitæ in Libris ſacris inveniantur, lectorem nimium diſtrahunt, quominus juſtam de illis ideam concipere, atque in unum corpus cogitando redigere poſſit. Ab iis tamen de quibus verba fecimus, prout opportuna ſe ſe offerebat occaſio, uti de Abſtinentia a ſanguine, de Circumciſione, de Paſchate, de Primogenitis, in præſentiarum abſtinendum erit, aut parcius tractandum.

Lex Moyſis a'ias omnes, ſi Chriſti Evangelium excipias, ſuperemi-net, variaque præceptorum genera complectitur.

II. Lex igitur Moyſis omnium prima, & potiſſima cenſetur. Quamquam enim apud Ægyptios, Aſſyrios, alioſque populos ante Moyſem legum quædam ſpecimina extarent, corpus tamen legum integrum, abſolutumque Hebræis omnium primis datum eſt. Hinc Joſephus animadvertit, Legiſlatores Græcorum præ

præ Moyſe recentiſſimos eſſe, vocemque *Nomos*, quæ legem ſignificat, ipſos ignoraſſe, ut ex Homero Græcorum vetuſtiſſimo conſtat, cum in eo nunquam inveniatur (*a*). Porro non vetuſtate tantum Lex Moſaica ceteris præfertur, ſed & dignitate, atque excellentia. Alii enim Legiſlatores civiles dumtaxat, politicaſque ſanctiones, quibus officia hominum inter ſe moderarentur, ediderunt, de Religione nihil curantes, niſi ſi quid paci, felicitatique Reipublicæ conferre animadvertiſſent. Accidit etiam non raro, ut populos in rebus omnibus Religionis rudes omnino relinquerent, evellere avitos de natura Dei, ejuſque cultu errores conſulto negligentes; quaſi ſcilicet error, & ſuperſtitio continendis in fidem populis plurimum conferret. Oppoſita plane ratione latæ a Moyſe leges nihil habent antiquius, quam ut de Religione decernant. Quare vir ille ſummus præceptis Politicis, quæ Judicialia conſueverunt appellari, Moralia adjecit, & Cæremonialia. Moralia, quæ Decalogo potiſſimum continentur, legem naturalem complectuntur, enucleantque, quid homo Deo, quidque homo homini præſtare teneatur, his inſpectis, quæ lumen rationis, omnibus affulgens, oſtendit. Præcepta Cæremonialia certos aſſignant ritus, pro qualitate, numero, & circumſtantiis Sacrificiorum, oblationumque, ac magis determinant exteriorem Dei cultum, cum antehac arbitraria eſſent omnia. Quanto vero Lex Moſaica prophanis ceteris præſtat,

 tan-

(*a*) Cont. App. l. 2.

tanto novæ per Chriſtum & Apoſtolos latæ concedit. Quidquid ſanctum, juſtum, perfectumque Moyſes indicavit, illud in Evangelio perficitur atque explicatur; quidquid etiam mali per Moyſem interdictum eſt, illud etiam per Chriſtum ſtrictiori præcepto prohibetur. Quidquid tandem mali, neceſſitatis obtentu, vel ſaltem quidquid minus boni Moyſes tolerat, in Evangelio omnino ſucciditur. Quare nullum in eo divortium, nulla polygamia, lex talionis, atque in alienigenas uſura, vel ſimultas nulla.

An Moyſis leges ad Ægyptiarum formam expreſſæ ſint.

III. Magna inter Eruditos contentione diſquiritur, an Judæorum cæremoniæ, & leges expreſſæ ſint ex Ægyptiacis, an Ægyptiacæ ex Judaicis. Spencerus, & Marshamus volunt, Moyſem, dum leges conderet, Ægyptiorum leges præ oculis habuiſſe, ſive ut eas imitaretur, ſive ut eorum moribus & opinionibus ſeſe opponeret, ſive ut eo, veluti freno, Hebræi cohiberentur, ne in Idololatriam, & ſuperſtitionem, quas in Ægypto obſervaverant, proruerent. Alii vero malunt, Ægyptios ab Hebræis, ex parte ſaltem, leges mutuatos fuiſſe. Quo in opinionum diſſidio, nos ultro fatemur, non raro Hebræos ab Ægyptiis, & frequenter Ægyptios ab Hebræis leges derivaſſe; quamquam pro inſito quodam averſandi Hebræis genio, Ægyptii ſæpe ab Hebræorum moribus recedentes, in ritus plane diverſos abiere. Plura ſane affinia ſpectantur inter quaſdam utriuſque gentis cæremonias, rituſque, maxime inter ea quæ ad Sacerdotum

exem-

exemptiones, honores, & prærogativas referuntur. Multa ſimul apparet animi propenſio in Iſraelitis ad imitandum cultum, & ſuperſtitionem Ægyptiorum, inter quos longam moram traxerunt. Multi etiam ex Ægyptiis verterunt ſolum, & cum Hebræis per deſertum iter ſuſceperunt. Scimus pariter maximo ſtudio detentos Ægyptios, ut Religionem ſuam aliis gentibus adprobarent. Moyſes, qua erat prudentia, & diſcretione, ea fortaſſe retinuit, atque in cultum veri Numinis tranſtulit, quæ cum alioquin forent utilia, vel ſaltem non perniciosa, utriuſque gentis animos mulcere, & conciliare poſſent. Viciſſim tamen credimus, Moyſem, ſeu ut melius dicam, Deum multa, quæ Ægyptiorum ſuperſtitionibus opponerentur, data opera inducere voluiſſe, ut Hebræi ab Idololatria, & moribus Ægyptiorum averterentur. Cujus rei hoc exemplum in medium producam. Ægyptii abſtinebant manum a vacca, ſacram exiſtimantes, quod in eam Iſidem tranſmigratam crederent. Rurſus non immolabant niſi tauros rufos in odium Typhonis, inviſi numinis, eo pilorum colore inſignis. Ut ergo cultum hunc de ridiculo traduceret Deus, mandavit ut Sacrificio vaccæ rufæ legalium ſordium expiatio pararetur. Ex hiſce fontibus tot leges, & cæremoniæ, tot in ſpeciem frivola & minuta derivarentur, quibus cauſas, & rationes aliunde petitas vix aſſignaremus. Reliqua autem ex arbitrio, & voluntate Legislatoris unice dependiſſe, cenſemus; Legislatoris, inquam, non temere illa

quidem, ſed ad præſtitutum ſibi finem dirigentis; minime autem id attendentis, ut in illis præſcribendis ritus Ægyptiacos vel imitaretur, vel execraretur.

Idololatria omnis & ſuperſtitio interdicta.

IV. Deus igitur fœdus cum Abrahamo, ejuſque familia olim initum, iterum in monte Sinai innovavit, legemque tradidit, in qua ſe Deum unicum, ſolum proinde amandum, & colendum, declarat. Hinc omnia alienæ Religionis monumenta, quæ unquam occurrerent, lucos, aras, petras, columnas, idola ſubverti juſſit; ipſaſque urbes ejus criminis reas vult devoveri. Artes pariter omnes curioſæ & ſuperſtitioſæ, quibus falſorum Numinum cultus, ſeu Idololatria promovebatur, Iſraelitis vetitæ erant, capitali pœna in reos indicta (*a*). Ut autem omnis illis præcideretur anſa imitandi ceteros Orientis populos, apud quos ſui erant Magi, Sortilegi, Incantatores, Aſtrologi, Arioli, ſomniorum Interpretes, quos Doctores, & in rebus dubiis Magiſtros adibant, Deus eorum omnium loco dederat Prophetas & Sacerdotes, qui certa quadam, ac tuta ratione populum ſuum, quid faciendum, quidque fugiendum docerent, panderentque etiam, cum opus eſſet, futuros, occultoſque eventus.

Plura Sacerdotii genera.

V. Quatuor Sacerdotii genera diſtingui facile poſſunt. I. Suum Principibus in populo, ac Patribus-familias Sacerdotium erat; quod munus velut a natura ipſis collatum videtur, cum

(*a*) Levit. XVI. I. XIX. Deuter. XIII. 2. 4. &c. 31. & XX. 6. Exod. XX. 24.

cum ſacrificandi honorem digniſſimo conferre, homines, natura docente, didicerint. Cain idcirco, Abel, Noe, Abrahamus, aliique ante legem ſacrificia pro ſuo jure Domino obtulerunt. II. Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech, quod a præcedente nonniſi viri dignitate diſtinguebatur; quippe qui a Deo ad exhibendam figuram Jeſu Chriſti excitatus fuiſſet. III. Sacerdotium Aaronicum. IV. Tandem Sacerdotium Jeſu Chriſti, ſive novæ Legis. De tertio Sacerdotio hic potiſſimum agendum.

Sacerdotium Hebræorum uni tantum Aaronis familiæ aſſertum.

VI. Ex quo igitur Dei juſſu Tribus Levi Tabernaculi obſequiis deſtinata eſt, & Sacerdotis munus uni Aaronis familiæ aſſertum, ſacrificii offerendi jus ceteris abrogatum eſt (*a*). Cujus quidem ordinationis cum finem tranſiliiſſet Ozias, ſive Azarias Rex Juda, thymiamate Domino oblato, lepra percuſſus, a Regno, domoque ſtatim amotus eſt (*b*). Samuelem, Davidem, Salomonem, Eliam, alioſque nonnullos Domino ſacrificaſſe, perhibet Scriptura (*c*). Sed hæc exempla explicari poſſunt de oblatis ab illis Sacerdotum miniſterio ſacrificiis; niſi dicere mavis, Deum hæc illis tanquam Prophetis, ſibique apprime caris, ſingulari diſpenſatione indulſiſſe.

Sacerdotum munera.

VII. Sacerdotium apud Hebræos nullum Reipublicæ munus a ſe alienum cenſebat, non juris dicundi, non militiæ, non ſæcularis cu-

(*a*) Num. XVI. 40. 13. XVI. 5. 2. Reg. VI. 13.
(*b*) Paral. XXVI. 19. XXIV. 24. 2. Paral. I. 5. 4.
(*c*) 1. Reg. VII. 9. IX. Reg. XVIII. 33.

juſque dignitatis; ſed potiſſimum, ac nobiliſſimum ipſorum munus, illud ſine controverſia habendum eſt, quod miniſterium Altaris, populi inſtitutio, & ſtudium Legis ipſis demandata eſſent.

Summi Sacerdotis privilegia & prærogativa.

VIII. Univerſo Clero præerat ſummus Sacerdos, qui totius Religionis cardo, & vertex habebatur. Permiſſus illi in Sanctuarium ingreſſus, cujus aditus ceteris omnibus claudebatur: quin nec ſummo Sacerdoti niſi ſemel in anno, recurrente ſcilicet Expiationis die, aut cum extraordinario aliquo eventu Oraculum conſulendum eſſet, eo pedem inferre licebat (*a*). Summa illi in judiciis, & controverſiis poteſtas & arbitrium; cujus definitiones ſi quis non acceptaſſet, morte plectebatur (*b*). Deus illi ſingulari privilegio oraculum veritatis contulerat, quo futurorum eventus, reſque obſcuras referaret. Solemnes ſummi Sacerdotis, ſicut & inferiorum Sacerdotum veſtes, tum & ipſorum initiationem alibi deſcripſimus (*c*). Legibus ceteris Sacerdotibus a Deo præſcriptis ſubjiciebatur. Singulare erat, quod nuptias cum virgine celebrare deberet, quodve funus vel etiam parentum lugere, aut locum adire, in quo cadaver jaceret, prohiberetur (*d*).

Vulgarium Sacerdotum munera.

IX. Ceterorum Sacerdotum munus erat peculiare ſacrificia in Altari ſuis manibus offerre; eorum etiam cura ignis in Altari holocau-

(*a*) Levit. XVI. 1. Calmet ibid.

(*b*) Deuter. XVII. 12, 13.

(*c*) Vide ſupra l. 3. c. 9. & 10.

(*d*) Levit. XXI. 10. 13.

cauſtorum perpetuus detinebatur: lampades candelabri noctu collucebant: panes propoſitionis ſingulis Sabbatis, amotis veteribus, menſæ aureæ imponebantur: ſingulis diebus mane, & veſpere ſuper Altare holocauſtorum agnus, ſuper Altare vero aureum incenſum offerebatur. Sacerdotum pariter erat dare ſignum levandi, metandive caſtra, ac cum hoſte confligendi; acuere milites in bellum; annunciare Jubilæum, Anni initium, & Neomenias; invitare ad Sacrificia, ad conventus, ad ſolemnia convivia; cui muneri deſtinatas habebant tubas. Arcam deferebant, cum ſatis amplus ipſorum numerus fuit; quod munus ab exordio Levitis creditum erat. Lectionem Scripturarum publice, ſacra præſertim Expiationis die obibant: volumen Legis novo Regi, ab ipſo exſcribendum, tradebant. Controverſias de Religione ſub ſummo Sacerdote dirimebant: de lepra judicium, de expiatione homicidii, cujus auctor lateret, de divortio, de aquis zelotypiæ, de votis Nazaræorum, ad illos ſpectabat. Tandem ſolemnis populi benedictio, atque divini Nominis ſuper illum invocatio ab ipſis obtinebatur. Unicam ob cauſam in Sanctuarium ingrediebantur, ut ſcilicet Arcam, & vaſa ſacra velaminibus obvolverent, ne nuda contactui, & aſpectui Levitarum, cum ab illis eſſent deferenda, permitterentur.

Vitia a miniſterio arcenda. Sacerdotum ætas.

X. Cæco, claudo, gibbo, lippo, hernioſo, & quibuſdam aliis corporis vitiis laboranti Sacerdotium erat interdictum (*a*); permittebatur

(*a*) Levit. xxi. 17.

tur tamen, ut ceteris ſacræ familiæ juribus, & privilegiis fruerentur. Feminam repudiatam, infamem, aut meretricem ducere nequibant (*a*); licebat tamen repudiatam a Sacerdote. Si quæ filia Sacerdotis in crimine deprehenderetur, utpote quæ patris famam violaſſet, continuo igni damnabatur. Quo tempore Sacerdotes in Templi ſervitiis occupabantur, ab uxoribus, & vino temperabant. Funeribus adeſſe, præter quam ſanguine propinquorum, vetabantur (*b*). In Templo, ſtantes miniſtrabant. Sacra tangere immundis nefas. Sacerdotum ætatem ad obeunda ſui muneris miniſteria nullam Moyſes determinavit. Sacerdotes tamen ipſi ſibimet legem conſtituerunt, ut neminem ad ſacrum miniſterium admitterent 20. annorum ætate minorem (*c*).

Levitarum officium. XI. Levitarum munus erat præ foribus Tabernaculi, & Templi diu, noctuque adſiſtere, Immundos ingreſſu prohibere, ſacram ſupellectilem cuſtodire: in itinere per deſertum, Arcam, vaſa, tabulas, vela, funes, aliaque Tabernaculi inſtrumenta vehere: victimas parare, hoſtias deglubere, lavare, concidere, decoquere, ligna, aquam, & cetera ad Sacrificium neceſſaria Sacerdotibus miniſtrare: Legi operam navare, adeo ut conſueti eſſent Regionum Judices, Sacerdotibus tamen uſquequaque ſubjecti. Nihil illis cum cantu, & muſica ante Davidem. Sed Rex ille cantica ſcripſit, inſtrumenta etiam muſica conſtruenda

(*a*) Levit. XXI. 7.
(*b*) Levit. XXI. 1.
(*c*) Selden. de ſucceſſ. Pontif. l. 2. c. 4.

da curavit, quæ Levitis pulſanda tradens, juſſit inſuper cantica illa canere ante Dominum in ejus Tabernaculo, ceteriſque Religionis cæremoniis: quod poſt ædificatum Templum meliori ordine, & pompa ſervatum eſt,

Sacerdotes & Levitæ alterno ordine miniſterium implent.

XII. Licet Sacerdotes omnes, omneſque Levitæ divino ſervitio eſſent mancipati, non omnes tamen eodem tempore miniſtrabant, neque omnes eodem dignitatis gradu gaudebant. Sacerdotes igitur in 24. claſſes diſtribuebantur; cœpitque iis ordo ab ætate Davidis. Ante id temporis nihil conſtitutum fuerat, quod ſciamus, de minorum Sacerdotum muneribus, & dignitate. Fortaſſe ad ſummi Pontificis juſſum omnia dirigebantur. Ne quid autem turbarum contingeret, David Sacerdotes in claſſes quatuor & viginti, ſorte diſtribuit, pro totidem ſacerdotalium familiarum Principibus. Hoc ipſum & de Levitis factum eſt. Singulis igitur Sacerdotum claſſibus ſingulæ Levitarum claſſes addebantur, quibuſcum altero Sabbato in veſperis inirent, altero clauderent miniſterium. Collectis in Templum Sacerdotibus & Levitis, ſorte educebatur, quid quiſque muneris per eam hebdomadam exerceret: Templo inſerviebant 4000. Janitores, totidem cantores, & præterea 24000. Levitæ, variis gerendis miniſteriis occupati (*a*).

Sacerdotum, & Levitarum proventus.

XIII. Sacerdotibus, & Levitis hereditas nulla quidem a Deo in diviſione Paleſtinæ deſtinata eſt; quippe quos ex decimis, primitiis, oblationibus, & victimis alere conſtituerat.

(*a*) 1. Paral. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. Luc. 1. ℣. 9.

rat. Sane hoſtiæ pacificæ armum dexterum, & pectus; hoſtiæ vero pro peccato omnia, excepto adipe, jecoris reticulo, & renibus, Sacerdotes ſibi ſumebant, cum Levitis, ut quidam volunt, dividenda. Pelles omnium victimarum, etiam in holocauſtum oblatarum, ipſis pariter cedebant; ex quibus non modicus illorum proventus (*a*). Si quid unquam in ſuum uſum Iſraelitæ mactaſſent, armum, ventriculum, & mandibulas pro ſacris Miniſtris ſeponebant. Lanæ etiam, cum oves tonderentur, ſua illis portio (*b*). Omnes natu majores Domino cedentes, ſoluto Levitis quinque ſiclorum pretio, redimebantur. Eodem jure omnia ceterorum animalium primogenita ad illos ſpectabant, ſive nulla facta redimendi ſpe, ſi pura eſſent; quippe quæ Domino immolabantur, effuſoque ad baſim Altaris ſanguine, deinde Sacerdotibus cedebant; ſive redimi, aut commutari juſſa, ſi impura cenſerentur (*c*). Arboris etiam primo ſatæ fructus quarto anno prodeuntes, Sacerdotibus relinquebantur (*d*). Quandiu Sacerdotes & Levitæ Templi ſervitiis occupabantur, non aliunde, quam ex oblationibus diurnis, aliiſque ad Templum ſpectantibus alebantur. Convivia nulla ferme ſive in Templo, ſive alibi inſtituta, ad quæ ſacri Miniſtri non accerſerentur.

XIV.

(*a*) Levit. VII. 6. & 33. Philo de Præm. Sacerd.

(*b*) Deuter. XVIII. 3. Philo ibid. Joſeph. Antiq. l. 4. c. 4.

(*c*) Num. XVIII. 15.

(*d*) Levit. XIX. 23.

XIV. Poſtera Paſchatis die hordei manipulus, veluti meſſis primitiæ, ad Templum deferebatur (*a*). Inde cuique metere fas erat. Die pariter Pentecoſtes aliæ Domino primitiæ offerebantur, duo nempe panes fermentati ex duobus farinæ aſſaronibus conſtantes. Tunc collectarum meſſium uſus ſingulis permittebatur. Sed hæ primitiæ, quæ communi totius gentis nomine offerebantur, erant potius ſignum ſupremæ Dei in populum, & fructus terræ auctoritatis, quam proventus aliquis ex quo ſacri Miniſtri ali poſſent. Præter eas igitur primitias ſuæ etiam ſingulis præſcriptæ erant, quanquam nec tempus, nec quantitas aſſignetur in Scriptura. Ex omnibus terræ fructibus portionem aliquam Iſraelitæ ad Templum deferebant. Si Rabbinis fides, munificentiſſimi quadrageſimam pendebant; alii quinquageſimam; reliqui tandem ſexageſimam (*b*). Sunt qui quantitatem relictam credant arbitrio offerentis. Quartum etiam primitiarum genus addi poteſt: quoties enim panis in uſum familiæ conficiendus erat, farinæ aqua ſubactæ portio quædam, vigeſima ſcilicet pars, ut volunt nonnulli, pro Sacerdote in eodem loco verſante ſeparanda erat (*c*). Si nullus eſſet Sacerdos, aut Levita, in clibano relinquebatur, igne abſumenda; quod ne hodie quidem omittunt Hebræorum feminæ, modo farinæ

Primitiæ.

(*a*) Levit. XXIII. 10. moth. c. 4. n. 3. & 17.
(*b*) Miſn. tract. Thru-
(*c*) Num. XV. 19.

rinæ aqua ſubactæ, 40. ſaltem ovorum magnitudo reſpondeat (*a*).

Decimæ. XV. Poſt ſolutas oblationes, primitiaſque, ſegregabant Hebræi decimam ex omnibus, quæ ſupererant, eamque ad Levitas in urbem Jeruſalem deferebant. Lege dumtaxat imperabantur decimæ ex tritico, vino, oleo, & cicuri pecore, quod ſub virga paſtoris eſt, ſcilicet ovibus, capellis, bobus. Multa huic legi addiderunt Hebræorum doctores, quidquid ſcilicet comeditur, ſervatur, humi naſcitur. Levitæ e collectis illis decimis ſeponebant decimam pro Sacerdotibus; neque enim Sacerdotes e populi manibus illas accipiebant; nefas autem erat Levitis aliquid ſibi adſciſcere ex collectis illis decimis, niſi reddita prius Sacerdotibus portione, quæ ad illos attinebat (*b*). E novem illis partibus, quæ dominis poſt ſolutam decimam remanebant, alia decima ſegregabatur Hieroſolymam transferenda, vel ſi longa eſſet via, ipſius pretium, & inſuper juxta Rabbinos quinquageſima totius tributi pars, argento repenſa. Hac vero decima convivia religioſa in Tabernaculo inſtruebantur. Simile quid erant antiquæ Chriſtianorum Agapæ. Joſephus ſcribit de tertio alio decimarum genere, quæ ſingulis trienniis offerrentur. Scriptura ſane nonnulla refert, quæ huic opinioni favere videntur (*c*). Verum quidam putant,

(*a*) Leo Mod. de Hebræor. cærem. p. 2. c. 9.

(*b*) Joſeph. Antiq. l. 4. c. 8. Num. XVIII. 28. Levit. XVII. 30. Deut. XII. 17. & XIV. 23.

(*c*) Deuter. XIV. 28. & XXVI. 12. Job I. 7.

tant, decimas illas, quæ ſingulis annis Hieroſolymam transferebantur, tertio quoque anno in propria cujuſcumque regione celebrandis conviviis pro pauperibus & Levitis impendi conſueviſſe. Quam tamen interpretationem idem Joſephus teſtis plane oculatus excludere videtur. Tradit enim, decimis illis omnibus perſolutis, privatos quoſque conferre ſe ad fores Templi, antequam ad propria redirent, ut palam teſtarentur, omnia ſe impleſſe, quæ Deus exigebat, agerentque grates pro acceptis a Deo beneficiis, & proſecutionem rogarent (*a*).

XVI. Ita plane Sacerdotes, & Levitæ quamquam latifundia non poſſiderent, amplioribus tamen proventibus fruebantur. Ne quid vero ædium illis deeſſet, imperavit Moyſes, ut in Terra ab Iſraelitis ſubigenda, octo & quadraginta Urbes cum ſuis appendicibus, ideſt cum hortis, & villis ad agrum ſingularum ſpectantibus, tribuerentur; quæ quidem appendices, ſive ſuburbia mille cubitos in latitudine, a mænibus ulterius procedendo, duo vero millia in longitudine, mœnibus paralella, non excederent (*b*). Cenſemus autem, hac lege permiſſum illis fuiſſe, ut ſeligerent, quas ipſi occupare poſſent ædes; reliquas vero habuiſſe ſibi ejuſdem Tribus homines, in quorum portione urbes continebantur. Si autem deinceps Sacerdotum & Levitarum numerus ita augebatur, ut novas ædes poſceret, credendum eſt, novas tunc illis traditas fuiſſe a Magiſtra-

Urbes Sacerdotibus & Levitis datæ.

(*a*) Antiq. l. 4. c. 8. (*b*) Num. xxxv. 4. 5.

ſtratibus, juxta conſtitutas Politicæ leges, quas nonniſi divinando indicare poſſemus. Certo tamen urbium numero illis deſtinato, non idcirco libertas alibi manendi Sacerdotibus, & Levitis adimebatur. Totus tandem illarum urbium numerus ita diſtributus fuit, ut 13. Sacerdotibus, reliquæ 35. Levitis cederent.

Urbes Refugii. XVII. Ex illis urbibus ſex in aſylum iis, qui nolentes, imprudenteſque hominem interfeciſſent, Moyſes deſtinavit; quo viri illi confugientes, tuti cauſam ſuam judicio purgare poſſent. Ex illis tres citra, tres ultra Jordanem conſtitutæ: cis amnem, Cedes Nephthali, Hebron, & Sichem; trans vero, Boſor, Gaulon, & Ramoth-Galaad. Neque ſecuritati tantum Hebræorum, ſed advenarum etiam cum Hebræis degentium, ea ratione conſultum eſt (*a*). Juſſit etiam Deus tres alias urbes refugii deſignari, cum Hebræorum ditio, & gens propagaretur (*b*); quod cum hactenus executioni mandatum non legatur, ex Talmudiſtarum placitis tempore Meſſiæ implendum relinquitur. Maimonides ex veteri traditione aſſerit, omnes illas 48. urbes aſyli, & refugii privilegium obtinuiſſe. Illud autem erat inter ſex ſelectas, & ceteras diſcrimen, quod ſex urbes tenerentur excipere, & habitatione gratuita donare illos, qui tutelæ gratia eo confugiſſent; ceteræ vero aliis patebant, aliis claudebantur, prout opportunum a civibus judicabatur. Porro ſex illæ urbes aditu faciles eſſe debuerant, viæ ad illas commodæ, fuiſ-

(*a*) Num. xxxv. 15. (*b*) Deuter. xix. 8.

ſuiſque pontibus, ſi quando opus eſſet, inſtructæ (*a*). In biviis ne forte errare contingeret, pali, ſive inſcriptiones iter monſtrabant. Urbs neque aquæ, neque annonæ penuria laborare permittebatur; nullumque in illis armorum opificium, ne forte occiſi conſanguinei ad ea emenda accedentes, gravius aliquid in homicidam tentarent. Quicumque ad aſylum confugiebat, artis alicujus exercitio vitam tolerare, ne civibus gravior eſſet, cogebatur. Homicidam judiciali ſententia proſequi fas erat; quare ad Judicem coram populo accitus, vel per ſe, vel per procuratorem, illatum a ſe imprudente homicidium cònabatur oſtendere. Si Judicibus probaretur, tuta illi in urbe mora; ſin minus, pro legis præſcripto plectebatur. Plerumque tamen manibus neceſſariorum occiſi tradebatur, qui ipſi per ſe ultionem extorquebant. An cauſa illa a Judicibus loci, ubi commiſſum fuerat homicidium, an a Magiſtratibus urbis refugii cognoſceretur, in utramque partem verſatur. Non igitur plena poſt judicialem abſolutionem reo permiſſa libertas, id agente Moyſe, ut pœna in homicidam etiam imprudentem indicta, animos ab eo crimine etiam atque etiam removeret. Quin ſi pedem ex urbe incaute extuliſſet, quicùmque defuncti neceſſarius illum occidere potuiſſet impune. Poſt obitum tamen ſummi Sacerdotis nihil illos morabatur, quominus liberi quocumque vellent, abirent, omni de illis ultionem exigendi facultate ſublata.

M XVIII.

(*a*) Deuter. XIX. 3.

Templi aſylum. XVIII. Præter eas urbes Templum Domini aſyli jure, ac potiſſimum Ara holocauſtorum, donabantur (*a*). Aſylum Altaris ad Sacerdotes tantum Rabbini determinant. Qui ad Templum confugiſſent, eorum cauſa ſtatim ad Judices delata, ſi homicidii rei judicarentur, ex aſylo extracti, extra Templum capitali ſupplicio plectebantur. Immunes vero a crimine, adjectis ob eorum ſecuritatem cuſtodibus, ad urbes refugii dimittebantur.

Nathinæi. XIX. Quemadmodum ſub Sacerdotum imperio Levitæ, ita ſub Levitarum *Nathinæi*, Templi miniſteriis & ſervitiis erant addicti. Nathinæi igitur, ideſt *Donati*, ſervi erant, vilioribus Tabernaculi, & Templi miniſteriis, veluti aquis & lignis ferendis, occupati. Primo hæc cura Gabaonitis demandata fuerat. Deinde idem onus impoſitum Chananæis in ſervitutem redactis, & ab interitu ereptis. Qui cum Eſdra regreſſi ſunt Babylone, 220. fuere; qui vero cum Zorobabele, 392. (*b*). Hæc tamen multitudo impar adhuc erat miniſteriis, quibus addicti fuerant; quare legimus, deinde conſtitutam ſolemnitatem, quam *Xilophoriam* appellarunt; qua populus publice ad Templum ligna deferebat, quibus Altaris holocauſtorum ignis foveretur (*c*).

Ani-

(*a*) Exod. XXI. 13. IX. 20. Philo de Legat. ad Cajum.

(*b*) Joſue IX. 27. Eſdr. l. 2. c. 17. VIII. 20. & II. 58. 3. Reg.

(*c*) Joſeph. de Bello

Animalia Sacrificiis apta. Varia Sacrificiorum general. Libationes. Sacrificia pro leproſo & vaccæ rufæ. Sanctificata non omnibus permiſſa.

CAP. II.

Animalia pro Sacrificiis.

I. ANimalia, quibus in Sacrificiis utebantur Hebræi, familiariſſima erant, & inter cetera captu maxime facilia. Triplicis ſunt generis. I. Vaccæ, Tauri, Vituli. Boves arcebantur, quod ſint mutili; quare cum ſit mentio de Boum oblatione, hac voce tauri intelligendi ſunt. Quin & animalium mutilationem nec permiſſam, nec uſu receptam fuiſſe apud Iſraelitas, perſuademur. (*a*). II. Capræ, Hirci, Hœdi. III. Oves, Arietes, Agni. Vervex eadem de cauſa, qua Bos, arcebatur. His addi poſſunt ex avibus Turtures, Columbæ, Paſſeres. Nihil ex piſcibus; piſces enim non ita commode vivi in Templum ferri potuiſſent. Porro victimas ex animalibus non ita exigebat Deus, quaſi illis ſive indigeret, ſive plurimum delectaretur; ſed, inquiunt Patres, craſſioris populi captui ſe ſe in illis præſcribendis attemperans, gravioris mali metu, ne ſcilicet ſuperſtitionibus, & damnato Idolorum cultui vacarent, ſacrificia permiſit. Non eſt tamen cur ex hac communi Patrum doctrina, mala eſſe veteris Legis ex animalibus Sacrificia, & Deo tantum tole-

M 2 ran-

(*a*) Levit. XXII. 18. & 24.

rante, quemadmodum & peccatum tolerat aliquando, permiſſa putemus. Deum enim habent non permittentem tantum, ſed & auctorem, qui nempe illa conſilio ſuo, & auctoritate ſuaſit, indictiſque pœnis, præmiiſque præcepit. Porro animalia debebant eſſe ſine vitio, non gibba, non clauda, non ſcabioſa. Inepta etiam Sacrificio cenſebantur, niſi ſaltem octavum ab ortu diem evaſiſſent (*a*).

Varia Sacrificiorum genera.

II. Omnia Hebræorum Sacrificia ad tria genera reducuntur, ſcilicet ad *Holocauſtum*, ad *Sacrificium pro peccato*, & ad *Sacrificium pacificum*: quibus addenda ſunt tria Sacrificia plane ſingularia, nempe Sacrificium paſſerum, pro leproſo, Sacrificium vaccæ rufæ, & Sacrificium duorum hircorum, quorum alter Emiſſarius dicebatur. De agni paſchalis ſacrificio alibi ſatis ſuperque dictum eſt.

Holocauſtum.

III. Holocauſtum græce idem ſonat ac penitus combuſtum; ſi enim pellem, & fimum excipias, victima tota igne abſumebatur. Animalia huic Sacrificio apta, maſculini ſexus eſſent oportebat; cum in aliis inter marem, & feminam non diſtingueretur (*b*). Ad oſtium Tabernaculi adducebatur victima, ibique offerens, dexteram tantummodo, vel, ut malunt alii, utramque manum capiti illius imponebat: quo quidem ritu criminum exomologeſis fiebat, totaque ſcelerum pœna ex homine in hoſtiam transferebatur. Non immerito illa præferetur opinio, quæ defendit, pe-

culia-

(*a*) Exod. XII. 5. Levit. XXII. 12. XXIII. 27.

(*b*) Levit. III. 1.

culiarem, explicitamque criminum confeſſionem coram Sacerdotibus, quibus victima tradebatur, factam fuiſſe; dummodo de criminibus ageretur pœna mortis inferioribus; pro his enim ſufficiebat generalis confeſſio, qua quis peccatorem ſe profiteretur (*a*). Magis ambigitur, an munus mactandi a ſe oblatam victimam, excoriandi, concidendi, lavandi, aliaque minora præſtandi, laicis conceſſum fuerit, vel negatum (*b*). Vulgo tamen hæc omnia præſtabant Levitæ. Illud certiſſimum eſt, ſanguinis ſcilicet offerendi munus unis Sacerdotibus reſervatum fuiſſe; quem pateris exceptum effundebant per *Altaris circuitum* (*c*); hoc eſt, circa infimam Altaris baſim, vel circa illius limbum, ut e ſuperiori ad baſim deflueret. Detracta pelle præcidebatur victimæ caput; tum ſecta illa, demebatur omentum tegens viſcera, & adeps ad renes. Inteſtina vero una cum meſenterio, ac pedibus lavabantur. Tum quatuor diſtinctæ victimæ partes ſuper ſtruem lignorum conſtituebantur. Imponebatur ſuper illas adeps, cui & addebantur appendices jecoris, & pedes. Omnium tandem poſtremum eminebat caput. Suppoſitus autem ignis omnia abſumebat. Duo agni, qui annum non excederent, ſingulis diebus, alter oriente Sole, alter occidente, hoc ritu Domino offerebantur.

 IV.

(*a*) Maldonat. Janſen. Eſtius, Grotius in Matth. III.

(*b*) Levit. I. I. 2. &c. III. 3. IV. 24.

(*c*) Levit. I. 5.

Sacrificium pro ſummi Pontificis, aut totius populi peccato.

IV. De Sacrificio pro peccato ſive in expiationem, ſi forte crimen aliquod per ignorantiam contractum eſſet, certa tantum portio igne adolebatur, reliqua Sacerdoti cedebant, nihil offerenti permittebatur; quaſi oſtenderetur, reum indignum eſſe, qui de menſa Dei ſui participaret. Hiſce autem cæremoniis Sacrificium fiebat. Summus Sacerdos, ſi crimen aliquod imprudens commiſiſſet, unde error & peccatum pravo illius exemplo, aut doctrina in ceteros derivaretur, vitulum in expiationem offerebat; quod præ Tabernaculi foribus ſtatuens, ſacerdotali manu capiti impoſita, continebat, ſimulque crimen ſuus profeſſus, veniam implorabat. Inde victimæ jugulatæ ſanguinem in Tabernaculum inferens, digito in eo tincto, ſepties contra velum ante Santuarium expanſum aſpergebat, linitiſque Altaris thymiamatis cornibus, quod ſupererat cruoris ad baſim Altaris holocauſtorum effundebat. Adeps igni ejuſdem Altaris traditus: reliqua omnia, ne excepta quidem pelle, extra caſtra elata in locum purum, excipiendis cineribus Altaris holocauſtorum deſtinatum, igne cremabantur (*a*). Quæ præſtabantur pro expiatione peccati ab univerſo populo imprudenter perpetrati, ab aliis ob tollendum delictum ſummi Sacerdotis, in eo tantum diſtinguebantur, quod in prioribus illis Seniores populi, totius gentis perſonam referentes, vitulo manum imponerent, & peccatum illud faterentur.

V.

(*a*) Levit. IV. & V.

V. Principis populi crimini detergendo, hircus præ foribus Templi offerebatur, fatente interim ipſo crimen ſuum, poſita ſupra victimam manu. Vulgarium hominum ſacrificium ovem, ſive capram exigebat. Porro in his ſive Principis, ſive privati hominis ſacrificiis, ſanguis non inferebatur in Tabernaculum, ut velum aſpergeretur; ſed ex eo tantum quatuor Altaris holocauſtorum cornua liniebantur. Reliquum ſanguinis ad baſim Altaris effuſum, adeps crematus; cetera omnia Sacerdotibus cedebant, nonniſi tamen in Tabernaculo, ſive Templo deguſtanda. Si forte aries pro peccato offerretur, ſemper ejus cauda, pinguiſſima illa in ea regione, una cum adipe adolenda erat. *Sacrificium pro particularium hominum peccato.*

VI. Majori ovis, ſive capræ victimæ offerendæ impar, geminos turtures ſive pullos columbarum ſubſtituebat, alterum pro peccato, alterum in holocauſtum (*a*). Accipiens Sacerdos avem in holocauſtum deſtinatum, caput ejus torquebat retrorſum, inflictoque vulnere cruorem inde fluentem ſpargebat ad baſim Altaris; projecta deinde gutturis veſicula cum pennis in locum excipiendis cineribus Altaris deſtinatum, diſrumpebat alas, non abſcindens, nec dividens ferro: tum victima igni imponebatur penitus abſumenda. Avi pro peccato offerendo avulſum caput nonnulli volunt; ſed alii in adverſam tantum partem retortum malunt. Facta deinde ungulis inciſione inter caput & guttur, ſanguinem inde manantem Sa- *Sacrificium pro pauperum peccato.*

(*a*) Levit. 1. 14. & v. 8.

cerdos, poſt tincta Altaris latera, ad baſim illius effundebat. Inde omnia Sacerdotis erant. Si quis neque hiſce offerendis par eſſet, tantum farinæ deferebat, quantum decima Ephi parte contineretur, cum oleo, ſale, & vino, talis oblationis familiaribus condimentis, adjecto & thure, ut gratum libamini, dum igne abſumebatur, conciliaret odorem.

Sacrificia peccatorum culpā per ſe non delebant.

VII. Certum autem eſt apud Theologos, ſacrificium in expiationem peccatorum a Deo præſcriptum, nunquam per ſe maculam illorum eluere, aut culpam delere; ſed reparare tantum exteriorem ſordem, ſive a capite ſontium removere temporalis pœnæ, a Deo, vel Judicibus infligendæ ſeveritatem. Crimen delere unius Fidei, Spei, Caritatis, atque perfectæ contritionis, ſacrificio conjunctæ, privilegium erat. Juvat etiam animadvertere, ſacrificia, de quibus loquimur, indicta fuiſſe pro delictis per ignorantiam perpetratis. Genus enim aliud criminum, cui nullum [illegible] ab ignorantia patrocinium, lex cordis contritioni perfectæ permittebat, ſubjiciebatque animadverſioni Magiſtratuum, tunc potiſſimum, cum ex ipſius legis contemptu admiſſa cenſerentur.

Sacrificium pacificum.

VIII. Sacrificium pacificum, ſive ad liberandam nuncupati voti alicujus fidem, ſive ad poſtulandum a Deo aliquid, ſive in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, ſive tandem in honorem Dei, ſolo Religionis ſpontaneæ impulſu, nullo adigente præcepto, offerebatur. Sua erat victimæ portio igni, ſua

Sa-

Sacerdoti, ſua & offerenti, ut nempe ſignum eſſet Dei cum ſacrificium procurante pacis & amicitiæ, pro recepto apud populos varios more, ut ſcilicet poſt inita fœdera ſimul omnes menſæ aſſiderent. Cum autem oblatio perficeretur tantum ſimila, frumento, vel panibus, nihil ad offerentem redibat. Victima præ foribus Tabernaculi conſtituta, atque ab offerente manus impoſitione initiata, mactabatur. Sanguine deinde ad baſim Altaris effuſo, partes ſectæ, riteque diviſæ manibus offerentis imponebantur a Sacerdote, eoque manus ducente elevabantur, atque ad quatuor mundi plagas ſiſtebantur (*a*). Adeps deinde, & cauda, ſi aries eſſet, igni tradebatur, pectuſculum, & armus dexter Sacerdoti cedebant, reliqua omnia offerens ſecum referebat, qui ex illis plerumque familiaribus inſtruebat convivia.

IX. Libationes non tantum offerebantur in criminis expiationem a pauperibus, quibus victimæ graviores fuiſſent, ſed & a ditioribus, qui illas inferebant ſuper victimam jam immolatam, vel ſuper victimæ diſcerpta membra, in Altari poſita, ut flammis adolerentur. Libationes illas implebant grana, farina, panis, placentulæ, vinum, ſal, oleum, thus. Mel nunquam ſacrificiis jungebatur; at ſolitarium offerre in primitiarum morem fas erat. Fermentum vero nullo modo ſuper Altare offerebatur (*b*). Vulgaris tamen, ſive fermentati panis munera ſacris Miniſtris dare nemo veta-

Libationes.

(*a*) Levit. VII. 30. (*b*) Levit. II. 4.

vetabatur. Ex his oblationibus pleræque erant gratuitæ; legis tamen præcepto addendæ erant, cum viva quædam hoſtia exhibebatur: quicumque enim Sacrificium offerebat, victimæ libationes, ceu convivii appendices & condimenta, ſufficere jubebatur (*a*). Norant pariter Græci, Latinique libationes, quibus nihil ſacrificiorum loco vetuſtius.

Ante deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica ſalis (*b*).

Gentiles tamen Sacrificiis libationes addentes, non congerebant illas ſuper victimam jam immolatam, atque igni impoſitam; ſed effundebant, ſive aſpergebant ſuper caput victimæ adhuc viventis, in quo quidem ab Hebræorum more diſcrepabant.

Ipſa tenens dextra pateram pulcherrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fudit (*c*).

Cum autem in hiſce oblationibus nulla animalium mors interveniret, a ratione proprii Sacrificii excidebant. Nullam ſatis certam quantitatem lex aſſignat farinæ, olei, vini, aliarumque rerum, quæ oblationes ſacrificiis addenda ſpectabant, ſed offerentis pietate, & religioni omnia permittebantur. Sacerdos projiciebat in ignem Altaris pugillum ſimilæ, vel micarum, vini etiam aliquid pro data portione, olei, & ſalis: de thure nihil reſervatum. Reliqua cedebant Sacerdoti, merces navatæ operæ, diſtribuebanturque inter ſocios, qui per id temporis in Tabernaculo miniſtrabant;

(*a*) Levit. II. I. Jerem. XLI. 5. Baruch I. 10.

(*b*) Ovid. Faſt. I.

(*c*) Eneid. IV.

bant; quod & de omnibus aliis portionibus, quæ Sacerdotis ſacrificantis juris erant, intelligendum eſt (*a*).

X. Sacrificium pro leproſo hoc ritu celebrabatur. Duo paſſeres, ſive, ut nonnulli interpretantur, duæ aves puræ, quæcumque illæ eſſent, una cum faſciculo ex ramuſculis cedri & hyſſopi, vitta purpurea colligatis, Sacerdoti offerebantur. Continuo altera ex illis ſuper aquam, ad hoc in vaſe præparatam, immolabatur; altera vero ſuperſtes, faſciculo cedri & hyſſopi ita illigabatur, ut caput haberet manubrio reſpondens, caudam autem alaſque oppoſitas. His ita peractis, faſciculus una cum ave ad caput uſque in aqua ſanguine mixta mergebatur: quo ſtatim reducto aſperſiones leproſi, ſive domus ea labe infectæ, fiebant. Poſt hæc ſoluta avis libera dimittebatur (*b*). Porro ſive lepra reputetur ceu appendix, & neceſſaria quædam inteperantiæ conſecutio, ſive incommodum aliquod e neglecto corporis cultu proveniens, lex utique jure certas aliquas potuit præſcribere pœnas, & ſacrificium, ad expiandum, non morbum quidem illum, ſed peccatum illius qui morbum contraxit. *Sacrificium pro leproſo.*

XI. Vaccæ rufæ ſacrificium has cæremonias admittebat (*c*). Seligenda erat ejus coloris vacca, ætate integra, jugo tamen adhuc non ſubmiſſa. Mactabatur extra caſtra, ex cujus cruore aſpergebatur ſepties contra fores Taberna- *Sacrificium vaccæ rufæ.*

(*a*) Levit. VII. 10.
(*b*) Levit. XIV.
(*c*) Num. XIX.

naculi. Hanc cæremoniam primo Eleazarus Aaronis filius peregit; ſucceſſu vero temporis illam obiiſſe ſummum Sacerdotem, docent Rabbini: qui etiam tradunt poſt excitatum Salomonis Templum, huic Sacrificio montem Olivarum deſtinatum fuiſſe. Illis aut minime fidimus, dum volunt, a Moyſe aduſque Eſdram ſemel tantum vaccam rufam immolatam; ſed cum Hieronymo ſentimus, ſacrificium illud quotannis renovatum eſſe (*a*); nec ſane aliter fieri potuiſſet, ut ex ea victima cineres ſuppeditarentur univerſo Iſraeli ad frequentiſſimas uſu ſordes eluendas. Comburebatur igitur tota, nihilo de pelle, carnibus, ſanguine, fimo reſevato; unaque cum illa rami cedri & hyſſopi, ac lana purpureo colore nitens in pyram projiciebantur. Qui reſtabant ex eo ſacrificio cineres, aqua immixti, valebant ad eluendas maculas contractas in funere, vel cadaveris contactu, quibus homines a rebus ſacris arcebantur. Hæc luſtratio tertia, & ſeptima die fieri debebat. Si quis purificationem omiſiſſet die tertia, ſeptima die a labe mundus non cenſebatur; ſed a tertia illa die ſeptem ex integro ducendi erant dies, ut abſolute pleneque purificaretur. Elapſo illius temporis ſpatio, pura ſe, & veſtes, qui maculam contraxerat, lavabat; quibus omnibus luſtrationibus abſolutis, adhuc tamen a caſtris aduſque veſperam ceu immundus removebatur. Tanta autem erat aquæ luſtralis ex vaccæ rufæ cineribus paratæ ſanctitas, ut ea

(*a*) Hieron. epiſt. 27.

ea uti ad alios aſpergendos, ne puriſſimi quidem permitterentur citra crimen violatæ Religionis, non expiandum niſi ſeparatione illorum a civili commercio, &. a rebus ſacris uſque ad veſperam. Porro vaccæ rufæ oblatio inter ſacrificia proprie non referretur, cum illa neutiquam in Altari ſiſteretur. Paria cenſemus de paſſere pro leproſo immolato, ac de hirco emiſſario, cui ſua in ſequenti capite erit narratio, cum ſcilicet ad ſolemnem Expiationis diem venerimus; qua etiam die vaccam rufam nonnulli immolatam volunt.

Sacrificia in Templo tantum offerenda.

XII. Hebræis vetitum erat pœna capitali in tranſgreſſores indicta, ſacrificia alibi, quam in Tabernaculo primum, poſtmodum vero in Templo, offerri (*a*). Nulla tamen Religione abſterrebantur, in ſingularibus eventibus, atque eo potiſſimum tempore, quo Arcæ judicantibus populum Heli & Samuele nulla erat certa ſedes, quin ſacrificia editis in locis offerrent.

Num omnia animalia præ Tabernaculi foribus eſſent mactanda.

XIII. Interpretes inter ſe committit lex illa, qua cavetur, ne animalia alibi, quam ante Tabernaculum occidantur (*b*). Theodoretus autumaſſe videtur, agi hic de animalibus, quæ privatus quiſque occidit in proprium uſum; putavitque in ſingulis urbibus ſuos fuiſſe Sacerdotes, qui oblata animalia ad uſum cibi ſuis ipſi manibus jugularent (*c*). Hanc interpretationem promovet Deuteronomium, ubi jux-

(*a*) Levit. XVII. 3. 4. Deuter. XII. 5. 6.

(*b*) Levit. XVII. 3. 4. 5.

(*c*) Theodoret. q. 23. in Levit.

juxta Hebræum Moyſes jubet, dari Sacerdotibus armum dexterum, ventriculum, & mandibulas animalium, quæ mactantur; idque fortaſſe in mercedem operæ navatæ (*a*). Alii autem defendunt vetare hic Moyſem, ne offeratur Sacrificium quocumque tandem in loco, alteri plane a Domino, ac alibi, quam in Tabernaculo, ſive Templo (*b*). Rabbini cenſent legem illam reſpicere tempus dumtaxat, quo Hebræi iter habuerunt per deſertum; vetare proinde illam, ne populus alias carnes in ſolitudine deguſtaret, quam victimarum Domino oblatarum. Porro ex his quæ Moyſes Domino, & Sacerdotibus reſervari jubet, cum meliora cenſeri debeant, licet judicare, quinam eſſet apud homines eo tempore guſtus in cibis.

Deguſtare ſanctificata non omnibus permiſſum.

XIV. Ex hoſtiis pacificis ſive in Templo, ſive in privatis ædibus cum tota familia deguſtare permiſſum; poſt alteram tamen diem ab oblato ſacrificio, ſi quid ex eo ſuperfuiſſet, igne abſumebatur. De victimis pro peccato extra Templum ſive deguſtare, ſive efferre quid, Sacerdotibus nefas; aliis vero a Sacerdotibus ne in Templo quidem aliquid ex eis delibare licebat. Quoad decimas, primitias, primogenita, vota, oblationes, familia ſacerdotalis non excipiebatur. Sacerdos, qui ex ſacrificatis aliquid ipſe non purus in cibum caperet, ultimo ſupplicio damnabatur. Ex dapibus

(*a*) Deuter. XVIII. 3. alii plures. Vide & Philon
(*b*) S. Aug. q. 56. in de. præmiis Sacerd.
Levit. Grotius, Junius, &

pibus ſanctificatis operarii mercede conducti, & advenæ non participabant; quamquam mancipia Sacerdotum non excludebantur; filiæ item e ſacerdotali familia viduæ, vel repudiatæ amiſſum antea in illas jus recuperabant. Porro dapes ſanctificatæ cenſebantur, ſive portiones ex ſacrificiis pacificis, Sacerdotibus cedentes, ſive quæ ex oblationibus Templo factis in uſum eorumdem ſegregabantur: quoad decimas enim, & primitias, nihil exceptum; alioquin Levitæ & Sacerdotes inexpiati ali non potuiſſent (*a*).

Quodnam primum inter Hebræorum Feſta. Sabbatum. Iter Sabbati. Annus ſabbaticus. Jubilæum. Neomenia. Paſcha. Pentecoſtes. Tabernacula, ſive Scenophegia.

CAP. III.

I. Omnium Feſtorum primum, & vetuſtiſſimum eſſet Sabbatum, ſi certo conſtaret illud ab ipſo Mundi exordio Religione ſanctum fuiſſe, uti quidem pluribus viſum eſt (*b*). Cum autem aliis, nec prorſus immerito, ejus epocham præcepto Dei ea de re dato ad Mara, aliquando poſt egreſſum ex Ægypto, illigatam velint, res in ambiguo manet; præbeturque occaſio certo tribuendi hunc prin- *Primum apud Hebræos feſtum.*
cipa-

(*a*) Levit. VII. 6. 18. VI. 76. X. 14. & XXII. 2. Num. XVIII. 9. 13.

(*b*) Vide hanc Hiſtor. l. I. c. 2. n. 10.

cipatum Solemnitati paſchali, ante ipſum egreſſum inſtitutæ.

Quæ die Sabbati eſſent imperata.

II. Sabbati quies capitali pœna indicta fuit. Hinc cum nonnulli ex Iſraelitis in deſerto virum quemdam inveniſſent ligna colligentem, ex Moyſis, Aaronis, totiuſque populi juſſu carceri manciparunt, donec Moyſes ipſe Deum conſuleret, quo mortis genere miſer ille plectendus eſſet. Reſpondit autem Deus, velle ſe ut Sabbati violator lapidibus extra caſtra ab omni multitudine obrueretur; quod ſtatim executioni mandatum eſt (*a*). Ceteris diebus feſtis ignem excitare, cibos coquere licebat; Sabbato vero omnino vetitum (*b*). Quare quæ ad victum pertinebant, feria ſexta, *Paraſceve*, hoc eſt *præparatio*, propterea dicta, parabantur. Ex Rabbinorum tamen doctrina, ad membra calore fovenda, ignem excitare permittebatur. Ea die hebdomadarium munus Miniſtri in Templo inibant, eademque die recurrente abſolvebant: recentes panes propoſitionis menſæ aureæ impoſiti, veteres ſubducti: oblata certa duorum agnorum in holocauſtum ſacrificia; quibus tamen conſueta quotidiana Sacrificia, matutinum ante reliqua, & veſpertinum poſt reliqua cum ſuis oblationibus minime impediebantur. Duo ſunt de Sabbati religione præcepta: alterum affirmans: *Memento, ut diem Sabbati ſanctifices*: alterum negans: *Non facies omne opus in eo* (*c*). Hebræi ſanctificationem

(*a*) Num. xv. 32.
(*b*) Exod. xxxv. 2.
(*c*) Exod. xx. 8. 10.

nem illam bonorum operum exercitio, orationibus, gratiarum actionibus, publico & privato impenſo in Deum cultu, lectione & explicatione Legis, ſibi comparare ſtudebant. Jejunio Sabbatum violari credebant; quare abs re Scriptores Ethnici, ſibi perſuaſerunt, Hebræos Sabbato jejuniis vacaſſe: *Recutitaque Sabbata palles* (*a*). Quod ſpectat abſtinentiam ab operibus, quæ propria ſunt ſervorum, Sabbati die vetitis, varie variis temporibus ea de re diſciplina ſervata eſt. Machabæorum ætate ne permiſſum quidem ea die cenſebant hoſtibus arma inferentibus reſiſtere; inde jus defenſionis conceſſum (*b*); minime tamen arma inferre, hoſtes opera urgentes impedire, caſtra, ne in hoſtili quidem regione movere (*c*). Multa ſuperſtitione plena ætate Chriſti Domini invaluiſſe, Evangeliſtæ paſſim oſtendunt; plura etiam magis inepta addiderunt recentiores Hebreorum magiſtri. Feſtum hoc, ſicut & cetera omnia, a veſpera ad veſperam celebrabatur. Die Veneris, dum Sol occidit, ineunte Sabbati religione accenditur a feminis Hebræis in conclavi lampas, ſex vel quatuor ſaltem lucernis in multam noctem inſtructa, quem ritum credimus antiquiſſimum (*d*). Recta eodem tempore omnes ad Synagogam conveniunt; ubi certis quibuſdam

N pre-

(*a*) Perſ. Sat. v. Vide Calmet vv. Jejunium, & Sabbatum.

(*b*) I. Mach. II. 32. & 44.

(*c*) Joſeph. Antiq. l. XII. c. 8. l. XIII. c. I. & 16. de Bello l. I. c. I.

(*d*) Luc. XXIII. 54.

precibus recitatis, dein ad propria revertentes, ſibi mutuo *Fauſtum Sabbatum* imprecantur. Mane alterius diei ad Synagogam iterum ſe conferunt, ubi in pſalmos effuſi, conſuetas cantilenas, & preces intermiſcent. Septem poſtea viri recurrentem Pentatheuchi lectionem abſolvunt. Eadem in lectione Prophetarum obſervunt, lectione, inquam quæ Pentatheuchi lectioni reſpondeat. His abſolutis, qui librum manibus tenet, elato paululum codice, adſtantes benedicit. Hæc matutina, ſive pomeridiana, pro locorum & temporum opportunitate, concio excipit. Sub veſperis excipit cæremonia *Abdala*, ſcilicet diſcrimen, qua indicatur, tranſitum fieri a die feriata ad alteram, qua opera permiſſa ſunt. Redux in domum quiſque geminatam lampadem accendit, dicens: *Judæis nova lux oriri viſa eſt*: (*a*) aliaſque ex Pſalmis recitans ſententias; olfacit quædam aromata, effundit in terram aliquid vini, intuetur manus ſuas, & tandem fauſtam apprecatur hebdomadam, ea quiſque ſuis vacat rebus. Abdala in exitu Paſchæ & Pentecoſtes pariter celebratur; ſed tunc ritus ille mera verba complectitur (*b*).

Iter Sabbati. III. Fas eſt Hebræis die Sabbati per urbes, quantumvis late patentes, huc illucque diſcurrere; egredientibus tamen ex urbe nefas eſt longius, quam ad cubitos bis mille, nempe ad mille paſſus iter protrahere: tantumdem enim fuiſſe intervalli Arcam inter & populum in tranſitu Jordanis obſervant: certumque tenent,

(*a*) Eſth. VIII. ult.

(*b*) Leo Mod. p.3.c.4.

nent, Iſraelitas nullo non tempore ad Arcam accedere potuiſſe. Hæc tamen menſura a ſequioris ætatis Sapientibus definita eſt; nam iidem Hebræorum Magiſtri docent, Moyſis ætate iter Sabbati ad 12. millia paſſuum excurriſſe (*a*). Cui loci diſtantia ignota ſit, illum 2000. paſſibus communibus tuto iter habere poſſe, Maimonides concedit; quod mille paſſibus geometricis ex quinque pedibus conſtantibus reſpondeant (*b*). S. Lucas ſpatium inter montem Oliveti & Hieroſolymam deſignans, ait, tantum inter ſe diſtare, quantum iter Sabbati ferret. Porro mons ille ex Joſepho diſtabat ab urbe quinque vel ſex ſtadiis (*c*); ſpatio utique mille paſſibus minori. Verum S. Lucas deſignavit facile iter Sabbato permiſſum, non ita quidem accuratum, ſed illi proximum. Niſi dicere mavis, Joſephum ſpatium metiri ab ipſa montis radice, quam vero a montis vertice, unde Chriſtus cælum petiit.

IV. Annus ſabbaticus, & annus Jubilæi, veluti totidem Feſta, atque Sabbati continuatio habendi ſunt. Annus ſabbaticus ſingulis revolutis ſeptenniis recurrebat, totoque eo anno terra inculta quieſcebat (*d*). Quidquid eo temporis ſpatio terra ſponte protuliſſet, omnibus permiſſum erat. Dominis tamen, ſi quoſ- *Annus ſabbaticus.*

N 2

(*a*) Joſu. III. 4. Apud Selden. de jure Nat. & Gent. l. 3. c. 9.

(*b*) In Hilcoth. Sabbat. c. 27. §. 4.

(*c*) Act. I. 12. Joſeph. Antiq. l. 20. c. 6. de Bello lib. 6. c. 3.

(*d*) Levit. XXV. Exod. XV. & XXI.

quoidam audias, integrum erat aliquid e ſuo agro in ſuum uſum decerpere, antequam ceteri in illum manus inſerrent. Ejus obſervantiam indixit Deus, tum ad perennandam Mundi a ſe creati memoriam, cum ad manifeſtandum ſuum in res omnes imperium, & dominium. Volebat inſuper ingerere Iſraelitis humanitatis ſenſus, præcipiens, ut egenis, mancipiis, alienigenis, & brutis etiam permitterent agrorum ſuorum proventus. Menſem Tizri, noſtro Septembri reſpondentem, initium anni ſabbatici non immerito ſtatueremus, contra ac nonnullis videtur, qui menſem Niſan, a Martio non admodum abludentem, præferre malunt. Ita enim extra ejuſdem anni fines, & fructus ſexti anni colligi, & arva pro anno octavo commode ſeri poterant, ne duobus ſuccedentibus annis meſſibus carere cogerentur. Niſi reputare mavis, Deum huic incommodo occurriſſe, ſuppeditando ſingulis ſextis, & quadrageſimis octavis annis tantam proventuum copiam, ut nedum ad biennium, ſed & ad triennium ſufficeret (*a*).

Mancipia manumiſſa, & æs alienum extinctum.

V. Hebræorum mancipia eo anno in libertatem aſſerebantur, niſi illa juri ſuo antea ſponte renunciaſſent, atque perforatis coram Judice auribus, publico ſolemnique documento ſe in perpetuam ſervitutem, vel ſaltem uſque ad annum Jubilæi devoviſſent. Mancipiis ex advenis perpetua ſervitus. Æs alienum eo anno pariter remittebatur. At enim æs illud remiſſum ne prorſus, vel ſuſpenſa tantum illius

(*a*) Levit. xxv. 21.

illius ſolutio? Incertum. Priorem ſententiam tenent quidam quantum ad debita nulla hypotheca munita, ſecus de reliquis ſentientes. Servorum libertati, & debitorum remiſſioni addebatur eo anno ſolemnis coram populo, in unum cœtum ad Feſtum Tabernaculorum coacto, Scripturarum lectio (*a*).

Quid Jubilæi nomen?

VI. Annus Jubilæi poſt evolutas ſeptem hebdomadas annorum, ſive ſingulis 49. annis recurrebat (*b*). Hebræum *Jobel* apud diverſos diverſa ſonat. Si Joſephum audias, ſonat libertatem; ſi Philonem, reſtitutionem; ſi Rabbinos, arietis cornu, quo inſonante Jubilæum evulgabatur. Verum quomodo arietis cornu, nulla cavitate perfoſſum, potuit in tubam adhiberi? Quare Jobel ænea forte fuit buccina, quæ arietis cornu referebat: Alii Jobel ab *Jubal* deducunt, quod clangere tuba ſignificat. Calmetus, ab *Hobil*, quod eſt revocare, reducere; tunc enim omnia ad priſtinum dominum remigrabant. Porro hæc ſententia ab Joſepho, & Philone non multum abludit; annus enim Jubilæi ſervis libertatem reddebat, reſtituebatque omnia in priſtinum.

Jubilæi privilegia.

VII. Nihil igitur annus Jubilæi ab anno ſabbatico differebat quoad terræ quietem, fructuum communitatem, atque mancipiorum libertatem. Quamquam præterea eo tempore etiam illi ſervi manumitterentur, qui annis ſabbaticis juri libertatis renunciaſſent. Bona inſuper & hereditates, vel donatione, vel pignore diſtracta, ad antiquum dominum re-

N 3 gre-

(*a*) Deuter. XXXI. 10. (*b*) Levit. XXV.

grediebantur (*a*). Poſſeſſiones tamen quæ jure ſucceſſionis erant devolutæ, venditiones certo annorum ſpatio definitæ, ædes intra urbis pomeria, Jubilæi prærogativa non gaudere, tradunt Hebræorum doctores. Quæ quidem doctrina repugnare videtur menti Legislatoris, fortunarum, & conditionum æqualitatem, quantum fieri poterat, conſervare volentis.

Eſſet ne anno 49. an. 50. Jubilæum.

VIII. Grave eſt diſſidium inter Scriptores, num annus 49. an 50. Jubilæo ſacer fuerit. Moyſes quidem conceptis verbis ait: *Sanctificabis annum quinquageſimum;* quibus lis ſolvi videtur. Verum ſi hæc ita ſe haberent, duobus annis ſibi ſuccedentibus terra vacaſſet, cum Jubilæi annus, nempe quinquageſimus ſtatim poſt ſabbaticum quadrageſimum nonum incidiſſet. Potuit Moyſes vocare annum Jubilæi quinquageſimum pro quadrageſimo nono in gratiam numeri rotundi; quemadmodum apud nos obtinet, ut octo dies in Hebdomadam ſupputemus, quamquam reipſa hebdomada ſeptem tantum diebus abſolvatur.

Quo tempore iniret Jubilæum.

IX. Inibat prima die menſis Tizri, qui Septembri circa autumnale æquinoctium reſpondet; ſed nonniſi decima ejuſdem menſis die manumittebantur ſervi, & veteribus dominis reſtituebantur poſſeſſiones (*b*). Novemdiale hoc perſeverante, compotationibus, & deliciis, coronis capiti revinctis, ſervi vacabant. Vix eluceſcebat ſolemnis Expiationis dies, quæ decima eſt Tizri, cum per Sacerdotes infla-

(*a*) Levit. xxv. 8.

(*b*) Maimonides, Halaca Schemitta Vejobel.

flabantur buccinæ, tum libertas data mancipiis, & ad veteres poſſeſſores latiſundia reſtituta.

X. Poſt captivitatem Babylonicam annorum ſabbaticorum religio manſit, abolito Jubilæo. Cum enim ejus inſtituendi potiſſima ratio fuerit, ut bonorum per Joſue diſtributio maneret, atque impermixtæ diſtinguerentur Tribus, & familiæ, non erat utique, cur adhuc Jubilæum obtineret, ut olim ante diſperſionem. Quæ namque Tribus ſoluta captivitate redierunt, ſedes ſibi, ubicunque ſors dabat, conſtituere. Primus Jubilæi annus anno Mundi 2609. notari poteſt; alter anno 2658. tertius 2707. & ſic deinceps. *Jubilæum ceſſat.*

XI. Neomenia primam menſis diem ſignificat. Hebræi primam cujuslibet menſis diem maxime colebant, offerebantque in holocauſtum vitulos duos, arietem unum, agnos anniculos ſeptem, additis oblationibus conſuetis (*a*). Nullam tamen ejus diei requiem injunxit Moyſes. Hinc Hebræi noſtrates perinde habent Neomenias, ac feſta, quæ ſpontanea tantum religione ſervantur. Menſis initium ſolemnia inter Sacrificia tubis reſonantibus denunciabatur (*b*). Omnium Neomeniarum ſolemniſſima ea erat, quæ aperiebat Kalendas Tizri, anni civilis exordium. Huic indictæ feriæ, & nomen *Feſtum buccinarum*, ſive *tubarum*; harmonico enim tubarum concentu, majori & ſolemniori ritu ejus menſis initium indicebatur. Feſti inducendi nulla ſpecialis cauſa in *Neomeniæ.*

N 4 Scri-

(*a*) Num. XXVIII. 11. (*b*) Num. X. 10.

Scriptura proditur. Cauſam aſſignantes nonnulli dicunt, eo anni tempore Mundum creatum fuiſſe (*a*). Suum erat Feſto holocauſtum, vituli ſcilicet, duorum arietum, & ſeptem agnorum (*b*). Addebantur præter hæc Sacrificia in Neomeniis præſcripta, & perpetuum Sacrificium matutinum, & veſpertinum. Veſpere ejus diei Iſraelitæ noſtræ ætatis proſperum ſibi mutuo annum imprecantur, convivia inſtruunt ſolito lautiora, & tubam inflant tricesies. Spencerus Kalendis Ethnicos coluiſſe Lunam, oſtendit; hinc Judæos ab Idololatris Neomenias didiciſſe, colligit: quod tamen minime probat. Nos, æquius reputantes, dicimus, Judæorum imitatione hæc apud Ethnicos obtinuiſſe; ipſos autem Judæos Neomenias celebraſſe, ut agnoſceretur Dei providentia Univerſum regentis, dirigentiſque ad arbitrium anni & temporum curſum & ſucceſſiones.

Paſcha. XII. Tres erant ſolemnitates, quibus Iſraelitæ Tabernaculum, & poſtea Templum, adire jubebantur, Paſchatis videlicet, Pentecoſtes, & Tabernaculorum (*c*). De Agno in Paſchate Domino immolando, deque azymorum uſu per totam Paſchatis octavam ab Hebræis ſervato, multa dicta ſunt cum ageremus de Iſraelitarum egreſſu ab Ægypto, qua occaſione hoc Feſtum inſtitutum eſt. Hic addimus, præter agnum paſchalem, alias hoſtias mactandas fuiſſe in holocauſtum ipſa ſolemni die Paſchatis, & per octo ſequentes dies, duos ſci-

(*a*) Leo Modena de Rit. Jud. p. 3. c. 5.

(*b*) Num. XXIX. I.

(*c*) Exod. XXIII. 14.

ſcilicet vitulos, arietem unum, agnos ſeptem. His addendus erat Sacrificium hirci pro peccato populi (*a*). Hæc Sacrificia Joannem præ oculis habuiſſe credimus, dum ſcripſit, Sacerdotes renuiſſe ingredi Prætorium, ne maculam aliquam contraherent, agentes cum Pilato de morte Chriſti, qua a comedendo Paſchate arcerentur (*b*). Paſchatis celebrandi neceſſitas ea erat, ut qui illud neglexiſſet, ſive Iſraelita eſſet, ſive alienigena, modo circumciſione initiatus, de populo Dei exterminaretur (*c*). Qui vero legitime impediebantur, velut itinere, morbo, impuritate, die 14. ſequentis menſis ſolemnitatem illam celebrabant (*d*). Deſtructo Templo everſaque Hieroſolyma Hebræi ſolo azymorum uſu Paſcha peragunt, cum illis interdictum ſit omne Sacrificium extra locum ſanctum (*e*).

XIII. Poſtera Paſchatis die, quæ erat 15. Niſan, manipulus veluti hordeaceæ meſſis primitiæ, ad Templum deferebatur; qua oblatione ii ritus ſervati feruntur. Prædicta die in veſpere Domus Judicii ter viros eligebat, qui ſolemniter manipulum hordei in agro Hieroſolymitano legerent; finitimis urbibus convenientibus, ut cæremoniæ adeſſent. Cum viri illi ter, an Sol occubuiſſet, poſtulaſſent, terque occubuiſſe a reſpondentibus audiſſent, ter iterum hordei metendi facultatem poſtulabant; *Manipulus hordei.*

qua

(*a*) Num. xxviii. 1.
(*b*) Joan. xviii. 28.
(*c*) Vide ſupra l. 2. c. 2. n. 9.
(*d*) Num. ix. 6. 10.
(*e*) Levit. xvii. 3. Deuter. xii. 5. & 14.

qua ter conceſſa, illud in tribus agris tribus diverſis falcibus metebant, tribuſque arculis conditum ad Templum deferebant. Hactenus Rabbini. Cum hordeum ad Templum delatum fuiſſet, in atrio excutiebatur, graniſque igne toſtis, & in mortario molitis Gomor implebant, cui affundebatur Log olei, addito thuris pugillo. Hæc omnia Sacerdos accepta, coram Domino quatuor Mundi partibus ſiſtens, agitabat. Injecta demum parte ſuper Altaris ignem, reliquum Sacerdoti cedebat. Inde cuique metere fas (*a*).

Feſta apud Hebræos geminata.

XIV. Ad determinandum exordium menſis lunaris, adeoque & feſtum paſchale, quod componebatur cum Luna 14. Niſan, ſive Martii, docent Rabbini, a priſcis Judæis conſtitutos fuiſſe ſuper celſa montium cacumina ſpeculatores, qui inſtans novæ apparentis Lunæ explorantes, conferrent ſe celeriter ad Patres Sanhedrinos, a quibus per vicinas Urbes mittebantur nuncii de exordio menſis referentes. Metu vero ne quid Religioni deeſſent, duæ ſuccedentes dies feſtæ habebantur; quarum prior *dies latentis Lunæ*; altera *dies apparentis Lunæ* appellata. Ita factum, ut duæ priores ineuntis Paſchæ, & duæ poſteriores exeuntis ipſius hebdomadæ, eſſent feriatæ, ipſumque Paſcha hebdomadam excederet, & ad octo dies prorogaretur; quod hodie uſque a Judæis ſervatur nedum in hac, verum in aliis quoque ſolemnitatibus. (*b*).

XV.

(*a*) Levit. XXIII. 10. (*b*) Judith VIII. 6. ex Joſeph Antiq. l. 3. c. 10. Græco.

XV. Die 13. Niſan Judæi domum univerſam diligenter ſcrutantur, ne quid in ea ſive panis fermentati, ſive fermenti, ſive rei ad fermentum accedentis remaneat (*a*). Altera die hora undecima, in ſignum inceptæ prohibitionis veſcendi fermentato, portio panis communis concrematur, additaque ſolemni proteſtatione a Patrefamilias, nihil fermenti domi ſupereſſe, continuo azymis conficiendis manus admoventur. Hanc decimamquartam diem eſurialem habent primores natu familiarum, quod ſcilicet proxime ſubſequenti nocte primores natu Ægyptiorum Angelus exterminaverit. Veſpere conferunt ſe ad Synagogam precaturi, redeunteſque ad propria accumbunt menſæ conſueto lautiori; in qua præter alia præſto eſt portio aliqua agni vel hœdi amaricantibus herbis, veluti endivio, cichorio, vel lactuca, conditi. His utcumque obſequuntur illi præcepto: *Edent carnes & azymos panes cum lactucis agreſtibus* (*b*). Vetitum tamen ſibi credunt agnum illum apponere ſive totum aſſum, ſive totum elixum, ſed portionem ex illo aſſant, portionem elixant, vel ſaltem aliquid e toto decerpunt, ne integer victimæ, ſive ſacrificii, extra Templum ſibi interdicti, ſpeciem præſeferat. Poſt cibum præcinit puer quidam ad id deſtinatus hymnum, & plura ſciſcitatur de cauſa, & origine hujus ſolemnitatis, quæ late explicat paterfamilias, agens ſimul Deo gratias, quod Iſraelem ex Ægypto modo tam admi-

Ritus quibus nunc Hebræi Paſcha celebrant.

(*a*) Leo Modena de Rit. Hebr. l. 3. c. 3.

(*b*) Exod. XII. 8.

mirabili eduxerit, eumque rogans pro impetranda Hieruſalem reſtitutione, & veteribus in loco ſancto Sacrificiis, ut tandem deguſtari poſſit victima paſchalis, & ſanguine illius placari Deus. Hæc Pſalmorum rei congruentium recitatio excipit. Mane ſequentis diei 15. Niſan in Synagogam proficiſcuntur, ubi quinque ſimul viri ex Pentateucho recitant quæ ad inſtitutionem, & cæremonias Paſchatis ſpectant. Succedit lectio Prophetarum lectioni Pentateuchi correſpondens. Hæc intermiſcent preces, gratiarum actiones, & pſalmi. Poſt prandium Feſti commemoratio agitur, rogaturque Deus pro felicitate Principis, cujus imperio ſervitur, & ut animum illius in gentem Hebræam inclinet. Idem ritus duobus poſterioribus Feſti diebus recurrit. E Synagoga tandem exeuntes conferunt ſe ad deguſtandum pro ultima vice panem non fermentatum.

Pentecoſtes. XVI. Pentecoſtes græce quinquageſimum ſignificat; eoque nomine quinquageſimam ab altera paſchali die, hoc eſt a die 16. Niſan, diem intelligimus; quam quidem diem, quod poſt ſeptem hebdomadas a Paſchate recurrat, appellant Hebræi *Feſtum Hebdomadarum* (*a*). Indicta autem fuit Pentecoſtes, ut acceptæ a Deo in monte Sinai Legis, quinquageſima die ab egreſſu ex Ægypto, gratias referrent Hebræi, agnoſcerentque primitiarum oblatione ſupremum Dei dominium. Meſſis igitur triticeæ, quæ tunc aperiebatur, primitiæ offerebantur in Templo, duo ſcilicet panes fermentati,

(*a*) Exod. XXXIV. 22.

tati, ſinguli ex totidem farinæ aſſaronibus confecti (a). Autumant nonnulli, duos per familias panes offerendos fuiſſe. Alii tamen veroſimilius putant, duos tantummodo panes, totius gentis nomine, oblatos. Præterea ſeptem agni anniculi, vitulus, & arietes duo in holocauſtum, duo agni in Sacrificium, & hircus pro peccato Altari imponebantur. Ad hæc duo vituli, & aries in holocauſtum, ſeptem agni in Sacrificium pacificum, & hircus pro peccato (b). An vero feſto Pentecoſtes ſua eſſet octava, quemadmodum eam habebant Paſcha, & Pentecoſtes, ſilente Scriptura ignoramus.

Ritus Judæorum noſtratum in Pentecoſte.

XVII. Noſtræ ætatis Judæi ornant ea die floribus Synagogam, ædiumque feneſtras; quo emblemate deſignetur, omnia circa Sinai montem læta viriditate recreaſſe, cum Iſraelitæ Legem reciperent. Aptas feſto preces addunt; legunt ex Pentateucho Sacrificia ea die præcepta, adnectunt e Prophetis, quæ affinitatis habent aliquid cum Pentecoſte; ac tandem benedicunt Principi in cujus ditione ſunt, Legiſque encomium pro concione proſequuntur. Omnia autem claudit cæremonia quam *Abdala* vocant.

Feſtum Tabernaculorum, ſive Scenopeja.

XVIII. Feſtum Tabernaculorum perennandæ memoriæ itineris 40. annorum per deſertum, cum Iſraelitæ ſub papilionibus morarentur, inſtitutum eſt. In Evangelio, & in Machabæis *Scenopegia*, hoc eſt, Tabernaculorum ere-

(a) Levit. xxiii. 15. Num. xxviii. 27. Joſeph.
(b) Levit. xxiii. 18. Antiq. l. 3. c. 10.

erectio, vocatur (*a*). Die 15. Menſis Tizri exordiebatur, indeque per ſeptem diem productum; e quibus primus tantum & ultimus ſolemniſſimi, atque feriati (*b*). Per id temporis ſub intextis ex ramis virentibus, & foliis tentoriis, compotationibus, lætiſque conviviis oblectabantur Judæi. Prima igitur ineuntis feſti die rami palmarum, ceterorumque frondeſcentium arborum præcidebantur, quibus ad Atrium non ſine cæremoniarum pompa delatis, Altare holocauſtorum circuibant, laudes Dei canentes. Cum autem inter eundum *Hoſanna*, ſeu potius *Haſa-na*, hoc eſt, *Salva quæſo*, inclamari contingeret, quomodo introeunte Hieroſolymam Jeſu obſervatum a Judæis ſcimus, ideo ramis illis Hoſanna nomen inditum. Ea cæremonia ſingulis illius Octavæ diebus innovata, poſtremo tamen die ſolemnior erat & crebrior, dicta proinde *Hoſanna Rabba*, ideſt magnum Hoſanna.

Sacrificia pro Feſto Tabernaculorum indicta.

XIX. Eadem prima Feſti dies, non conſuetis tantum Sacrificiis, ſed peculiari holocauſto 13. vitulorum, duorum arietum, 14. agnorum una cum ſolitis libationibus celebrabatur (*c*). Additus etiam hircus pro peccato. Alteram diem Sacrificium excipiebat 12. vitulorum, duorum arietum, 14. agnorum in holocauſtum, una cum hirco pro peccato. Tertia, quarta, quinta, ſexta, & ſeptima dies, iiſdem ac ſecundæ diei ſacrificiis religioſæ habe-

ban-

(*a*) Joan. VII. 2. 1. Levit. XXXIV. 35. Mach. X. 21.
(*b*) Exod. XXIII. 16.
(*c*) Levit. XIII. 40.

bantur; vitulorum tamen numerus ſingulis diebus ea lege minuebatur, ut tertia die 11. quarta 10. & ſic de aliis, immolarentur. Octavæ diei, quamvis ſolemniſſima præ ceteris haberetur, nullum tamen peculiare Sacrificium præſcriptum erat, quam vituli, arietis, ſeptem agnorum in holocauſtum, & hirci pro peccato. Neque intermiſſa cetera Sacrificia, ſive quotidiana, ſive ſponte ab Iſraelitis, ſive pro expiandis criminibus facta. Serotinorum fructuum primitias octava Feſti die in Templo a Judæis oblatas ferunt; ſicut & hauſtam e fonte Siloes aquam in Templo deferri conſueviſſe, quam vino admixtam Sacerdotes ad baſim Altaris effunderent, acclamante interim populo verbis Iſaiæ: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* (*a*). Hanc cæremoniam auctoribus Aggæo, & Zacharia poſt regreſſum e captivitate inſtitutam addunt; quo ſpectaſſe Jeſum, autumant nonnulli, cum poſtrema ejuſdem ſolemnitatis die in Templo clamitaret: *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat* (*b*).

Ritus noſtra ætate a Judæis in Feſto Tabernaculorum ſervati.

XX. Noſtra ætate ramos ad Synagogam deferunt Judæi, ſolemnique ritu cathedram in medio Synagogæ poſitam circumeuntes ſemel ſaltem in dies ſingulos, tunc primum ſibi cibi capiendi facultatem faciunt (*c*). In ſuis etiam ſingulis ædibus locum ſub dio eligunt, ubi foliis coopertam cellam ſibi ſtatuentes, velis circum, & ornamentis pro viribus ſtruunt. Ibi cibum & quidam etiam ſomnum capiunt.

Vo-

(*a*) Iſai. XII. 3.
(*b*) Joan. VII. 37.
(*c*) Leo Modena de Rit. Jud.

Vocat *Chag-haſſuchoth*, nempe Feſtum Tabernaculorum. Altera a Paſchate, & a Pentecoſte die veteres Hebræi regredi poterant ad propria: per totam e contra Feſti Tabernaculorum octavam, quantum arguimus, adeſſe Hieroſolymis cogebantur.

Exempti a trium ſolemnitatum obſervantia.

XXI. Ab obligatione adeundi Hieroſolymam tribus recenſitis Paſchatis, Pentecoſtes, & Tabernaculorum ſolemnitatibus, nonnulli præter ſenes, & invalidos, eximunt mancipia, feminas, & pueros duodennio minores (*a*). Auctor Miſnæ, & Maimonides illos pariter excuſatos pronunciant, qui a loco ſancto 15. milliaribus diſtarent. Philo vero eos tantummodo, qui in ſemotis Judææ regionibus verſarentur. Vix hæc pariter afflictis bello, turbatiſque rebus præſtari potuiſſent. Eo autem conſilio generales illos populi conventus indixit Deus, ut ſimul inſtituerentur populi, & in Religione animi continerentur, intelligentes vivere ſe Deo ſubditos, ſeque tandem invicem magis magiſque ſtringerent vinculo ſocietatis & amoris.

Feſtum Expiationis.

XXII. Feſtum Expiationis paucis ante ſolemnitatem Tabernaculorum diebus, hoc eſt die 10. Tizri celebrabatur. Hebræis *Chippur* dicitur, ſcilicet *venia*; expiabantur enim ea die commiſſa toto anno crimina. Summus Sacerdos non manibus tantum & pedibus, prout de more, ſed toto corpore lotus, lineiſque vulgarium Sacerdotum veſtibus indutus, vitulum immo-

(*a*) Calmet in Exod. XXXI. 12. Luc. II. 42. XXIII. 14. & 17. Deuter.

immolabat pro ſe, ſuaque familia ſacrificium (*a*). Siſtebat tunc populus duos hircos præ foribus Templi, ſuper quos jactæ ſortes diſtinguebant, uter immolationi, uter libertati deſtinaretur. Secundum hæc, ſumpto Ephod, aliiſque ſuæ dignitatis veſtibus, (*b*) impoſitiſque ex Altari holocauſtorum prunis thuribulo, incenſum contuſum paratumque igni dabat, tunc videlicet cum pedem inferret in Sanctuarium, quo ſcilicet ſublatus e prunis vapor, nube quadam obumbraret Arcam, & Propitiatorium, ut curioſum obtutum prohiberet; qua in re ſi defeciſſet, morti reum adjudicabat Deus (*c*). Poſt datum thus, e Sanctuario egrediebatur; tum aſſumens ſanguinem vituli, jam immolati, iterum redibat intro: atque digitos ſuos ſanguine illo tingens, aſpergebat ſepties inter Arcam, & velum ante atrium Sanctuarii appenſum. Inde ad Altare egreſſus, in latere ipſius hircum, ſorte immolationi deſtinatum, mactabat; cujus pariter ſanguinem in Sanctuarium inferens, eodem quo prius ritu ſepties inter Arcam, & velum aſpergebat; eaſque aſperſiones redux in Atrium proſequutus, omnia circum loca luſtrabat. Eo autem tempore Sacerdotibus, Levitis, & populo in Tabernaculo, ſive in atrio adeſſe nefas erat. His peractis quatuor cornua Altaris holocauſtorum ſanguine vituli, & hirci abluebat, aſperſionibus ſepties iteratis.

O XXIII.

(*a*) Levit. XVI. 6. Joſeph. de Bello l. 5. c. 15.
(*b*) Braun. l. 1. c. 2. ar. 5. de veſtib. Sacerd. Hebr.
(*c*) Levit. XVI. 13. Philo de Monarchia.

Hircus Hazazel. XXIII. Ita expiatis Sanctuario, Atrio, & Altari, ſummus Sacerdos ducto ad ſe hirco, in libertatem aſſerendo, manus impoſitione, ſua ac totius populi delicta confitebatur, Deumque rogabat, ut in caput illius converteret debitam utriſque ultionem. Tradunt Rabbini, ſummum Sacerdotem illigaſſe hujus hirci capiti ligulam quamdam rubram; quæ ſi alba apparuiſſet, peccata eo indicio remiſſa cenſebantur; ſecus vero, ſi nativum colorem reſervaſſet. Eo ſpectare ajunt illud Iſaiæ: *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur* (*a*). Prodigium illud 40. annis ante everſionem Templi per Romanos, deſiiſſe affirmant, ſcilicet circa tempus quo Chriſtus obiit. Vir deinde ad eam rem deſtinatus, vel, uti quidam malunt, Sacerdos aliquis deducebat hircum in deſertum locum, & remotum, agebatque in præceps, vel dimittebat liberum; qui ſecum deferre cenſebatur omnium Iſraelitarum delicta. Porro hircus iſte *Hazazel* dicebatur; quam quidem vocem alii interpretantur Emiſſarium, ſive libertati reſtitutum; alii, mala avertentem; alii, Diabolo permiſſum; alii, præcipitio datum; alii tandem vocem illam derivant ex Hebræo *Hez*, hircus, & *Azal*, abiit, reddentes, Hircum vagum, & ſine cuſtode aberrantem. Tactu hujus hirci, tanquam ſi maculam aliquam contraxiſſet ſummus Sacerdos, poſitis veſtibus totum corpus lavabat. Tum priores veſtes lineas, vel juxta alios, ſplendida ſuæ dignitatis ornamenta ſume-

(*a*). Iſai. 1. 18.

mebat, conferebatque ſe ad immolandos duos arietes, alterum pro ſe, alterum pro populo. Adeps igni datus: cetera omnia extra caſtra cremata per virum ad id delectum, qui non prius reſtituebat ſe caſtris, quam poſt elutum corpus ſimul & veſtes; atque id pariter imperatum eſt viro, qui hircum *Hazazel* in deſertum deduxerat.

Requiem, & jejunium Expiationis feſtum eximebat.

XXIV. His cæremoniis agebatur ſacra Expiationis dies, inter feſtivas ſolemniſſima, dicta propterea Sabbatum Sabbatorum, ſive Requies Requierum (*a*); in qua vel ipſa ciborum præparatio, quæ ceteris diebus feſtis permiſſa erat, vetabatur. Præter religioſum otium, arctum ſervandum erat jejunium, ab omni cibo, potu, conjugiique uſu remotum. Feſtum id inſtitutum dicit Maimonides, ut perennis eſſet memoria ejus diei, qua Moyſes tertio e monte deſcendens, populo venit nunciaturus, Deum illi remiſiſſe culti vituli crimen (*b*). Mavult Uſſerius, ejus ſanciendi rationem fuiſſe memoriam prævaricationis Adami (*c*). Vaccam rufam eadem Expiationis die nonnulli immolatam volunt, pronunciatumque a ſummo Sacerdote nomen Dei Tetragrammaton (*d*); nihil tamen hac de re Moyſes.

Quo ritu Hebræi nunc Expiationem celebrent.

XXV. Hebræi noſtri temporis in Feſti pervigilio ſe conferunt ad cæmeterium, Deum exoraturi, ut ſontibus parcat meritis Sancto-

 rum

(*a*) Levit. XVI. 31.

(*b*) De more Neboch. part. 3. Exod. XXXIV. 23.

(*c*) Uſſer. ad annum mundi primum.

(*d*) Vide ſupra l. 3. c. 1. n. 9. & lib. 4. c. 2. n. 11.

rum ibi quieſcentium. Ad veſperum Synagogam adeunt ſuum ſinguli lumen deferentes, elataque voce cantica modulantur. Alteram diem tranſigunt in Synagoga orationibus, & pœnitentiæ exercitiis vacantes; pacem cum adverſariis componunt, veſte lugubri induuntur; nec deſunt qui eaſdem deferant, quas in ſepulcro ſibi deſtinarunt. Pridie feſti gallum ſumebant, poſtque preces recitatas, frontem ter alitis capite ſibi percutiebant, ingeminantes: Gallo iſto redimar. Fauces deinde præcidentes eviſcerabant, plumas detrahebant, coctoque in cibum utebantur. Hunc tamen uſum diu in Italia & Oriente obtinentem, exoleviſſe, quod pura putaque ſuperſtitio videretur, Leo Modena teſtatur (*a*). Idem eſt feſti, & jejunii exordium; a cibo enim abſtinent Hebræi a veſpere diei nonæ aduſque exortum ſidus diei decimæ, prorogantes inediam ſpatio 28. horarum (*b*). Nonnulli anticipata pœnitudine 40. dierum præparant ſe ad feſtum Expiationis. Plerumque tamen duris afflictationibus exercent ſe a prima die menſis uſque ad decimam. Sunt qui nomen immutent ſuum, indicium tranſmutati cordis, quo majori confidentia coram Deo ſe proteſtentur: *Alter ego ſum, & alius a me crimen admiſit* (*c*). Non contenti immerſionibus in aqua, quo ſcilicet abluant peccata, confeſſionem hoc ritu peragunt.

(*a*) De ritibus Judaic. p. 3. c. 6. Calmet v. Expiatio.

(*b*) Hieron. l. 2. adverſus Jovinian. Buxtorf. Synag. Jud. c. 20.

(*c*) Maimon. de Pœnit. c. 10.

gunt. Recipiunt ſe duo in angulo Synagogæ; tum alter demiſſe inclinatus, dum crimina aperit, ad ſingula pectus tundit; alter qui confeſſionem excipit, cædit ferula 39. ictibus dorſum pœnitentis, quaſdam precationes ex pſalmis interim obmurmurans. Secundum hæc, alter alterius perſonam induit. Hucuſque de feſtis a Moyſe inſtitutis. De aliis alibi agemus, prout hiſtoriæ ſeries poſtulabit.

Animalium delectus. Legalis impuritas. Lepra.

CAP. IV.

I. DUplex erat apud Hebræos animalium delectus; alia nimirum impura, a quibus abſtinere jubebantur; alia pura, quorum uſus permittebatur ſive in Sacrificio, ſive in cibo. Ubi de Hebræorum Sacrificiis actum eſt, recenſuimus animalium ſpecies ad Sacrificium ſelectas. *Duplex animalium delectus.*

II. In uſum cibi animalia bifida, & ruminantia permittebantur omnia (*a*). Equi, Aſini, Cameli non dividunt ungulas. Canes, Urſi, Lupi pedes quidem dividunt, ſed in plures, quam duas ungulas ſive digitos. Sus dividit & ipſa quidem in duas ungulas, ſed non ruminat. Quare Hebræis ſunt vetita. Piſces ſine ſquammis, & alis item interdicti. Inter aves impura ſunt Aquila, Struthio, Charedrion, Bubo, Noctua, Mergulus, Corvus, *Animalia, quibus Hebræi veſci non poſſunt.*

 Tor-

(*a*) Levit. XI. 3.

Torquatus, Cycnus, Gryphus, Erodion, Upupa, Milvus, Onocrotalus, Porphyrion, Veſpertilio, Accipiter, inſectaque omnia alata, quatuor, vel pluribus inſtructa pedibus; his tantum exceptis, quorum poſteriores pedes anterioribus ſunt longiores, uti ſunt Locuſtæ, quæ per ſaltus procedere potius quam gradiendo videntur. Animadvertere juvat, in explicatione vocum, quibus Moyſes uſus eſt, non convenire Interpretes, noſque probatioribus adhæſiſſe (*a*). Tandem nefas erat carnes deguſtare illius animalis puri, quod contactu alterius impuri, ut canis, lupi, violatum eſſet (*b*). Eadem erat & de morticini diſciplina, quæ ſi quis contigiſſet, continuo impurus uſque ad veſperam habebatur, nec niſi in veſperis poſt lotionem veſtium, & forte etiam totius corporis, in aliorum conſortium admittebatur. (*c*).

Unde Animalium legalis impuritas.

III. Diſſidium eſt maximum inter Scriptores ad legalem hanc puritatem, impuritatemque quod pertinet. Obtinuiſſe id pariter ante diluvium ideo volunt nonnulli, quod Deus injunxerit Noe, ut introduceret in Arcam ſeptem paria animalium purorum, ex impuris autem bina (*d*). Diſcrimen hoc ſymbolicum prorſus reputant multi ex Patribus. Sus, ajunt, typus eſt gulæ, ſimplicitatis columba. Dum ergo a ſue abſtinendum edicit Moyſes, permittit autem eſum columbæ, invitat homines ad

(*a*) Calmet. in Exod. XI.
(*b*) Exod. XXII. 3. Levit. V. 2.
(*c*) Levit. XI. 39.
(*d*) Gen. VII. 2.

ad ſugiendam crapulam, ad ſectandam ſimplicitatem. Malunt alii, Deum removere voluiſſe Hebræos ab animalium cultu, qui tantopere in Ægypto vigebat. Abſtinuiſſent utique a colendis animalibus, quæ adhibebant in cibum; abhorruiſſent vehementius ab iis, quorum ne cibus quidem permiſſus. Alii in vetitis animalibus noxias, oppoſitaſque valetudini quamplures qualitates agnoſcunt. Docet Tertullianus, Deum occaſionem præbuiſſe Iſraelitis exercendæ temperantiæ, ſubductis eorum cibo pluribus. Videtur etiam Deus ſegregare voluiſſe Hebræos a ceteris per Orbem gentibus, veluti ſanctum populum, obſequiis ſuis impenſius addictum; eoque conſilio interdixiſſe illis uſum quorumdam animalium, quæ alias cenſerentur impura, quæque homines ſuapte natura in cibum non facile adſciſcerent; ut exteriori hoc puritatis cultu, interior alius, & perfectior deſignaretur. Docet id non obſcure Deus: *Ego*, inquit, *ſeparavi vos a ceteris populis: ſeparate ergo & vos jumentum mundum ab immundo* (*a*).

IV. Sanguinem cujuſcumque animalium generis, quacumque occaſione vetitum fuiſſe Iſraelitis, indicta etiam pœna mortis in tranſgreſſores, ambigit nemo (*b*). Idem nonnulli & de animalium adipe ſtatuunt; de adipe, inquam, a carne ſeparato; non autem admixto, aut cum partibus carneis concreto. Profecto hoc innuere videtur illa ſanctio: *Nec ſangui-* *Lex de Adipe.*

 nem,

(*a*) Levit. xx. 24. c. 8. n. 9.
(*b*) Vide ſupra l. 1.

nem, nec adipem omnino comedetis (*a*). Alii tamen literæ rigorem reſpuentes, reputant legem illam agere tantum de adipe illorum animalium, quæ Domino in Sacrificium mactantur; quod & nobis probatur; Deus enim alibi non ſemel permittit ut Hebræi de animantibus deguſtent, nihil excipiens, niſi illud tantummodo, quod ſanguinem vetet (*b*). A nervo pariter coxendicis poſterioris omnium animalium abſtinebant Judæi, Jacobi cauſa, cujus cum Angelo luctantis nervus luxatus eſt (*c*).

Varia impuritatum genera.

V. Legalium impuritatum non una fuit ſpecies. Aliæ enim voluntariæ cenſebantur, uti contactus cadaveris, reptilis, alteriuſve impuri animalis (*d*); ſive rerum ſacrarum ab impuris, ſive a non Sacerdotibus; contactus inſuper hominis leproſi, & gonorrhæa laborantis; item contactus puerperæ, menſtruatæ, profluvio ſanguinis laborantis (*e*). Aliæ impuritates ab invitis etiam contrahebantur; uti ſi quis forte in cubiculo fuiſſet, in quo aliquis ſubito occubuiſſet; vel ſi quis imprudens oſſa, ſepulcrum, vel quid ſimile impurum contigiſſet; vel ſi cui dormienti ſemen effluxiſſet; vel tandem ſi quis morbo aliquo impuro, uti lepra, gonorrhæa, laboraret. Conjuges etiam, & alii omnes qui veneri indulſiſſent (*f*). Cubilia,

(*a*) Levit. VII. 26. Levit. XI. 24. 34. 43. XVII. 10.

(*b*) Levit. XVII. 13. 24. 27. Deuter. XII. 15.

(*c*) Gen. XXXII. 25.

(*d*) Num. XIX. 11. 14. 16. 18.

(*e*) Levit. XII. 2. XV.

(*f*) Deuter. XXII. 10. Levit. XIII. 14. XV. 2. 4.

bilia, veſtes, utenſilia, ex contactu rei impuræ impuritatem & aliis communicabant.

Tempus, quo impuritates perſeverabant.

VI. Homo immundus in aqua ſive cum veſtibus, ſive ipſe & veſtes ſeorſum, immergebantur, nec veſperam ſordes ut plurimum prætertibat. Aliæ ſeptem diebus durabant, ut impuritas ex cadaver is tactu contracta (*a*). Menſtruatarum mulierum ſordes idem cum menſtruatis ſpatium habebant. Mulier quæ puerum peperiſſet, impuritatem prorogabat ſeptem ſaltem diebus; quo temporis ſpatio quidquid tangebat, reddebat impurum. Ad res tamen ſacras non admittebatur, niſi poſt evolutos a partu 40. dies. Si vero puellam edidiſſet, tempus illud duplicabatur (*b*). Aliæ uſque ad ſanitatem durabant, uti leproſorum, & gonorrhæa laborantium. Nonnullæ ſordes, hominum & urbium conſortio, ut lepra; aliæ a rerum ſacrarum contactu prohibebant, uti impuri animalis contactus, & matrimonii exercitium (*c*).

Ratio eluendi impuritates.

VII. Harum ſordium, uti diximus, alias lotio, alias Sacrificia, alias lixivium quoddam ex cinere vaccæ rufæ extergebant. Leproſi Sacrificium alibi deſcripſimus. Qui cadaveris contactu, ſive funeris præſentia maculam contraxerat, prædicto lixivio mundabatur. Qui menſtrui tempore cum uxore miſcebatur, mortis pœna ſe, & uxorem implicabat, ſi res ad Judicem deferebatur (*d*). Puerpera poſt præſcriptum

(*a*) Num. v. 2. xix. 11. 26.
(*b*) Levit. xii. 2.
(*c*) Levit. xxii. 4.
(*d*) Levit. xx. 18.

ptum tempus ad Templum veniens, agnum, & turturem, ſive columbam offerebat; ſi agnus gravis fuiſſet, par turturum, aut duos pullos columbarum (*a*). Porro his ſordibus alias graviores Moyſes indicare volebat, peccata ſcilicet in Deum, vel in proximos, a quibus homines maxime debent ſe cuſtodire.

Leproſi. VIII. Ad Lepram quod ſpectat, nedum homines, ſed & veſtes, & ædes eo morbo corripiebantur (*b*). Nullum naturale remedium pro lepra Moyſes aſſignavit; ſed id tantum juſſit, ut ea affecti Sacerdotibus ſe ſiſterent, quorum erat dijudicare, utrum morbus reipſa adeſſet, iſque pernicioſus, an ſecus. Tumores, puſtulæ, maculæ albentes, lucentes, & purpureæ, indicia erant, quibus juſta lepræ ſuſpicio inducebatur. Ut autem rei veritas attingeretur, homo illis incommodis affectus, a Sacerdotibus certo quodam loco, una vel duabus hebdomadibus clauſus detinebatur, ut ſcilicet eo temporis ſpatio morbus ſe explicare, atque certis indiciis deprehendi poſſet. Hæc indicia I. Albens, rubeſcens, & lucens in pelle macula. II. Pili eo loco pallentes & rufi. III. Locus pro reliqua cute humilior. Agnita, & declarata a Sacerdotibus lepra, ejus curandæ munus erat leproſi; qui inſignia omnia aſſumebat hominis luctum agentis, veſtes ſcindens, calvitium inducens, barbam negligens (*c*), ut ab omnibus poſſet dignoſci, & vitari; qua etiam de cauſa in arva, & loca infre-

(*a*) Levit. XII. 6.
(*b*) Levit. XIII. XIV.
(*c*) Calmet. in Levit. XIII. 45.

frequentia ſegregabatur. Si quando vero accideret ut convaleſceret, ille ad januam Urbis ſe ſiſtens, Sacerdotum inquiſitioni ſubjiciebatur. Probatus, geminas aves, eo ritu, quem alibi deſcripſimus, ſacrificandas offerebat. Tum ingreſſus ad Urbem illi permiſſus. Domum autem ingredi nonniſi evoluta hebdomada ipſi licebat. Eo igitur veniens, omnes corporis pilos radebat, ac frigida ſe lavabat. Die octava ad oſtium Tabernaculi coram Sacerdote ſe ſiſtebat, cum duobus agnis, & una ove; quibus Deo oblatis, Sacerdos cruore victimæ liniebat extremum auriculæ dexteræ, pollicis dexteræ manus, ac pedis dexteri; quibus peractis, liber dimittebatur (*a*).

IX. De morbi hujus cauſa, & indole diu diſceptatum eſt. Calmetus pluribus adductis ſtatuit, primam lepræ, ac ceterorum hujus generis morborum originem ad vitiatam quidem corporis, & ſanguinis habitudinem ita referri poſſe, ut propior & immediata cauſa ex vermiculis epidermim, pellem, glandulas, & carnem depaſcentibus deducatur. Cum autem ſubtiles illi vermes motu ſint, aviditate, & numero ultra fidem, hinc facile ex uno in aliud corpus tranſmeant, communicanturque nedum hominibus, ſed & veſtibus, domibuſque. An vero hæc Medicis, Phyſiciſque omnibus probentur, non quæro. Luem veneream novo vocabulo *Morbus Gallicus* appellatam, unam eandemque fuiſſe cum lepra, morbo tota *Cauſa lepræ.*

ta

(*a*) Levit. XIV.

ta antiquitate notiſſimo, haud futilibus ſane argumentis oſtenderetur (*a*).

Lepra veſtium. X. Maculæ ſubvirides, vel ſubrubræ in panno, in tela, in pelle ſuſpicionem de lepra ingerebant. Quare delata veſtis illa ad Sacerdotes, ſeptem diebus ſepoſita aſſervabatur; quo temporis ſpatio, ſi maculæ creviſſe deprehenderentur, ſtatim igni tradebatur; ſi vero idem in maculis ſtatus perſeverabat, lota veſtis ad alios ſeptem dies cuſtodiebatur. Si poſt id temporis maculæ non apparerent, ſemel tunc, iterumque lota veſtis pura pronunciabatur. Si vero adhuc perſeverarent, tanquam impuram igne damnabant. Si tandem veſtis illa colorem referebat panni aduſti, atque ad atrum accederet, fruſtum illud, e panno avulſum, igne comburebatur, reliquo reſervato.

Lepra domorum. XI. Hæc de ædium lepra ſtatuit Moyſes. Cum in parietibus inæqualis ſuperficies, non ſine ſubviridi, vel ſubrubro colore infecta apparuerit, ſtatim ea de re monitus Sacerdos, aſportari omnia e domo, eamque vacuam ſeptem diebus clauſam cuſtodiri, præcipiat. Eo temporis ſpatio ſi lepræ indicia perſeverent, avulſi a pariete lapides in locum extra Urbem immundum projiciantur; tum & parietes abradi, & eraſum pulverem ſimiliter ſpargi, Sacerdos præcipiet. Nova deinde calce oblita interiora domus, atque puris lapidibus in locum impurorum ſubſtitutis, oblato prius pro ejus expiatione duorum paſſerum Sacrificio, ſalva erunt

(*a*) Gaſſend. Gaffarel. Diſſertationes de Lepra, Tournefor. Vide Calmeti & de morbo Jobi.

erunt omnia. Si quid tamen poſt hæc veteris lepræ occurrerit, tunc inveterati, & pervicacis morbi indicium eſto; quare everſæ ſtatim domus rudera, omnia extra Urbem projiciantur (*a*).

Lepra Hebræis ex Ægypto egredientibus falſo attributa.

XII. Manethon Ægyptius, Lyſimachus, Molon, Appio Grammaticus, Tacitus, Juſtinus ſerio affirmant, Judæos ex Ægypto ideo pulſos fuiſſe, quod lepra ſcarerent (*b*); quo nihil a veritate remotius. Moyſes ſane hac de re ne verbum quidem habet. Si autem ea ſcabies late pervaſiſſet populum, tanto ne illi in leproſos tenerentur horrore?

De Hebræorum Connubiis.

CAP. V.

Cognatio Matrimonii impedimentum.

I. PRioribus illis ſæculis inter viros feminaſque, arctiſſimo licet ſanguinis vinculo junctos, non permiſſæ tantum, ſed neceſſariæ nuptiæ hebebantur, quod rari adhuc eſſent homines in Mundo. Sed genere hominum multiplicato, connubia illa inceſta reputata ſunt. Nihilo ſecius Patriarchæ uſi ſunt diutius priſtina illa libertate, tum etiam cum Mundo incolis frequentiſſimo, aliunde ſibi conjuges comparare potuiſſent: quod nollent fœdera conciliare cum familiis Idololatria corruptis. Multiplicatis autem Dei cultoribus, Moyſes

(*b*) Levit. XIV. 35.

(*b*) Joſeph cont. Apion. l. 1. & 2. init. Tacit. l. 5. Hiſtor. Juſtin. l. 36.

ſes rem ſuis terminis definivit (*a*). Porro gradus omnes cognationis, quibus apud Hebræos matrimonia impedirentur, quatuor hiſce verſiculis comprehenduntur:

Nata, Soror, Neptis, Matertera, Fratris & uxor,
Et Patrui conjux, Mater, Privigna, Noverca,
Uxoriſque ſoror, Privigni nata, Nuruſque,
Atque Soror Patris, conjungi lege vetantur. (*b*).

Leviratus. II. Si quis tamen filios moriens non reliquiſſet, tunc illius frater filios fratri ſuo mortuo, ducta vidua illius uxore, procreare tenebatur (*c*). Qui ſi conjugium renuiſſet, ad portas urbis a femina adductus, calceo exuebatur, atque in ore expuebatur, his verbis adjunctis: *Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui*. Tunc autem ex propinquis fratris defuncti minus remotior legis ſanctioni ſubdebatur; quod demonſtrat exemplum Ruth nubentis Booz, recuſatis antea iiſdem nuptiis ab altero propinquiori neceſſario. (*d*). Porro hæc lex, quæ *Leviratus* ex Latino *Levir*, frater mariti, dicitur, duo ſpectabat: primum, ut ſervando nomini defuncti conſuleret, per filios e vidua ejus uxore, & defuncti nomen præferentes, ſuſcitatos; alterum, ut jus integrum ſervaretur in eadem familia.

Matrimonia extra Tribum vetita. III. Eadem de cauſa vetavit etiam Moyſes puel-

(*a*) Levit. XVIII. 6.

(*b*) Calmet. in Levit. XVIII. 18.

(*c*) Deuter. XXV. 5.

Ruth IV. 1. 2.

(*d*) Deuter. XXV. 5. Ruth IV. 1. 2.

puellis, ne extra Tribum ſuam, familiamque virum quærerent (*a*). Cui legi occaſionem præbuerunt Maala, Therſa, Hegla, Melcha, & Noa filiæ Salphaad e Tribu Manaſſe. Cum enim ſine maribus pater deceſſiſſet, nonnulli ex Iſraelitis metuentes ne, ſi forte feminæ illæ virum ſibi ex aliena Tribu adſciſcerent, bona illarum in jus Tribus mariti perpetuo tranſirent, indicarunt Moyſi, hanc bonorum translationem repugnare legi, jubenti, ut hereditates & bona Tribuum impermixta permanerent. Ceterum ea lex nonniſi puellas heredes reſpicere videtur. Factum inde, ut Levitæ, & filiæ Levitarum Sacerdotumque connubia cum quacumque Tribu & familia inire permitterentur: neque enim ſive illi, ſive ſorores ipſorum hereditatis aliquid obtinebant. Quare mirum non eſt, ſi B. Eliſabeth de Tribu Levi neceſſitudine aliqua cum B. Maria, Matre Dei, e Tribu Juda conjungeretur. Sunt qui autumant, has leges jam inde a captivitate Babylonica ceſſaſſe, ex quo ſcilicet diſcretæ Tribuum hereditates in unam quamdam maſſam coaluerunt. Et quidem Judæi noſtrates Leviratus ſanctioni vel nihil unquam, vel raro deferunt.

Conjugia cum Chananæis prohibita.

IV. Prohibita etiam cum Chananæis erant conjugia (*b*). Certant nonnulli, omnia æque cum feminis Chananæis conjugia Iſraelitis interdici, tum etiam cum illæ ad Judæorum Sacra tranſiſſent. Tandem Religionis, ſive Cultus diſparitas ex doctiſſimis literis, quos Bene-

(*a*) Num. XXXVI. 1. (*b*) Deuter. VII. 3.

nedictus XIV. feliciter regnans dedit ad Henricum Tituli noſtræ Eccleſiæ S. Mariæ in Porticu S. R. E. Presbyterum Cardinalem, Ducem Eboracenſem nuncupatum, Hebræis matrimonia illicita quidem reddebat, minime vero invalida, contra ac ſcripſit Dominicus Sotus. Cenſent inſuper, ſanctionem illam ad omnes late gentes exteras extendi. Sed vero proprius videtur, conjugia illa tunc ſolum prohiberi cum feminæ in Idololatria perſeverarent, metu ne in ſuum crimen maritos pellicerent. Salmon enim duxit in uxorem Rahab capta Jericho (*a*). Utrique filii Noemi adſciverunt ſibi e Moabitis uxores (*b*). Quin ipſe Moyſes captas bello feminas, quæcumque illæ ſint, inter uxores habere ſinit (*c*).

Polygamia. V. De polygamia non una eſt ſententia. Vetatam putant Judæi Caraitæ, Saducæi, & plures Interpretes. Suam opinionem fulciunt illis verbis: *Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, adhuc illa vivente* (*d*). Alii, num permiſſa ſit lege polygamia Judæis, ambigunt; malunt autem credere, vetitam quidem lege, ſed contrario more probatam. Docent equidem veteres mores Hebræorum etiam ſanctiſſimorum, ut Davidis, polygamiam perinde habitam fuiſſe apud illos, ac aliquid in medio poſitum. Et ipſa pariter Moyſis Lex non obſcure, nec ſemel innuere videtur, polygamiam toleratam fuiſſe in populo. Vetat, ne filii uxoris magis dilectæ, in hereditatis

(*a*) Matth. I. 5.
(*b*) Ruth I. 4.
(*c*) Deuter. XXI. 11.
(*d*) Levit. XVIII. 18.

tatis partitione, filiis minus caræ præferantur. Regibus non pluralitas, ſed nimia uxorum multitudo prohibetur (*a*). Rabbini permittunt Regibus uxores ad uſque 18. exemplo Davidis & Roboami Regis Juda, qui totidem duxerunt. Iſraelitis vero tot ducere integrum dicunt, quot alendis ſufficiunt; conſulunt tamen, ut quatuor non excedant, quod & ſervatur apud Turcas, facile ex Jacobi exemplo, qui totidem duxit. Nihiloſecius polygamiæ exempla apud privatos Hebræos non erant communia; malebant enim loco uxorum ſubſtituere concubinas, quarum minus erat incommodum. Quod ſpectat ad textum laudatum, eo tantum vetitum videtur, ne ſimul & ſemel geminæ ſorores, quæ tales ſint ſanguine, & non ſolum gente, ducantur in uxores. Ut ut res ſe habeat, Arcadii, & Honorii lege polygamiæ libertas Judæis ſublata eſt. Mahometani, qui ſibi jus illud vindicant, negant id tamen Judæis, in ſua ditione verſantibus. Samaritani, Legis Moſaicæ ſtudioſiſſimi, uni tantum feminæ copulantur, reoſque damnant Judæos Orientis, quod ſecretam ſervent polygamiam. Tradit Leo Modena, noſtra adhuc ætate Judæos in Italia, & Germania degentes, alteram adhibere poſſe uxorem, ſi prior ſterilitate laboret; eaque in re indulto Pontificis illos muniri (*b*). Sed nos de veritate hujus indulti libenter doceremur. Quin ſcimus, Innocentium III. defendere nunquam

P per-

(*a*) Selden. l. 1. c. 9. Uxor. Hebr.

(*b*) Leo Modena p. 4. c. 4.

permiſſum fuiſſe hominibus, ut plures ſimul ſibi jungerent uxores, abſque peculiari data a Deo facultate, atque revelatione (*a*).

Divortium ſive Repudium.

VI. Divortium ſive repudium juſtis de cauſis, ſcilicet *propter aliquam fœditatem* permittebatur. Quid autem ſit illud *propter aliquam fœditatem*, diſputabant Judæi, alii graviſſimum crimen, puta idololatriam; aut adulterium, vel graviorem ſaltem aliquam cauſam intelligentes; alii vero ad genium & voluptatem mariti rem deducentes (*b*). Chriſtus tantæ licentiæ modum imponere volens, ſolam ad repudium adulterii cauſam probavit (*c*). Porro divortii privilegium ad virum tantum ſpectaſſe videtur. Salome autem Herodis magni ſoror, omnium prima apud Hebræos præſcriptas mulieribus metas tranſgreſſa, liberam ſibi repudiandi viri facultatem vindicavit. Namque a thori ſocietate Coſtabarum Idumææ, & Gazæ Præfectum divortio excludens, exemplum inauditum apud Judæos poſteritati reliquit. Illuſtris hujus feminæ exemplum ceteras ad id præſtandum inducere potuit, ac inter alias Herodiadem S. Joannis Baptiſtæ perſecutricem, quæ virum ſum Philippum & ipſa repudiavit (*d*). Apud Judæos noſtri temporis divortium minus pronum factum eſt, ex quo diſperſi vagantur inter varias gentes, levi quacumque de cauſa vinculum illud diſſolvi non per-

(*a*) Cap. *Gaudemus* Extrav. de Divortio.

(*b*) Vide hanc Hiſt. c. 11. & l. 11. c. 9. n. 7.

(*c*) Matth. v. 31.

(*d*) Joſeph. Antiq. l. 15. & l. 18. c. 7.

permittentes. Quædam tamen divortia, quamvis rara, manent apud illos. Poſt repudium ſi femina alteri nupſerit, iterum cum illa conjugium nectere prior vir prohibetur (*a*).

VII. Solutis autem per divortium connubiis, licebat ne utriſque nova cum aliis connubia celebrare? Ea res non tantum veteri lege, ſed vel ipſis conſtitutionibus priorum Imperatorum etiam fidelium permittebatur: quibus aſſentitur Tertullianus (*b*). Non deerant Epiſcopi Origenis ætate, qui ſubjectis ſibi populis eamdem facultatem concederent. In eam rem nonnulla Concilia & maxime Gallicana, laudantur. Conſuetudo tandem moderna Græcorum illi ſuffragatur. Verum hæc tanta non ſunt, ut probent, ſecundas haſce nuptias crimine vacaſſe. Moyſes illas permiſit *ob duritiem cordis*, ut inquit Chriſtus Dominus; vitandi ſcilicet cauſa majoris mali, cum alioquin miſeris feminis periculum immineret, ne a viris occiderentur, vel ſaltem dire vexarentur. Forte etiam morbus ille ita erat inveteratus, ut medicinam omnem recuſaret. Ceteris, quæ afferuntur, opponitur jugis Eccleſiæ Latinæ, & etiam Græcæ ſaltem vetuſtioris, doctrina, & praxis. Concilium tandem Tridentinum rem quaſi ad fidem reducit (*c*). Veterum Hebræorum licentiam recentiores nequaquam abjecerunt.

Matrimonium poſt repudium permiſſum.

VIII. Adulteros utroſque capitali ſupplicio

Adulterii pœna.

P 2 Moy-

(*a*) Leo Modena p. 4. Marc. & de Monogam. c. 4. & 6. Deuter. XXIV. I.

(*b*) Tertull. l. 4. cont.

(*c*) Seſſ. XXIV. c. 7.

Moyſes damnat (*a*); qui tamen nullum mortis genus deſignat. Crimen illud ante Legem igne expiatum videtur ex facto Judæ, ad pœnam illam Thamar nurum ſuam damnantis (*b*). Sed poſt legem lapidum ſupplicium obtinuiſſe, conſtat ex hiſtoria adulteræ, quam Chriſtus abſolvit (*c*). Si quando vir ſiniſtrum aliquid de fide uxoris ſuſpicaretur, adhiberi poterat aquæ zelotypiæ experimentum (*d*). Hunc ritum ita deſcribit Joſephus (*e*). Si quis adulterii ſuſpicionem de uxore habuerit, offerat hordeaceæ farinæ aſſaronem, & immiſſo ſuper Altare pugillo, quod reliquum eſt, Sacerdotibus veſcendum datur. Denique aliquis Sacerdotum ſtatuit mulierem ad portam, quæ obverſa eſt ad Fanum; & inſcriptum primum Dei nomine in membrana, defert ei jusjurandum cum imprecatione, ut ſi pudicitiam læſiſſet, luxato crure dextro, & ventre diſrupto, miſere moriatur: ſin autem, decimo menſe infantem maſculum pariat. Peracto juramento, de membrana deletum nomen in phialam exprimit, & ſumpto e Fano pulvere humi collecto, atque in poculum aſperſo, ebibendum porrigit. Mulier vero ſi injuſte eſt delata, prægnans facta enititur; quod ſi & conjugalem fidem, & Deum jusjurandi perjurio fefellit, turpiter moritur. Hactenus Joſephus. A culpa utique non vacaſſet tentare

Deum

(*a*) Levit. xx. 10.
(*b*) Gen. xxxviii. 24.
(*c*) Joan. viii. 4.
(*d*) Num. v. 11.
(*e*) Antiq. l. 3. c. 10. Vide & Philon. lib. de ſpecial. Legib.

Deum, atque experimento occultum crimen indagare, niſi Deus obligaſſet fidem ſuam, præſto ſemper ſe futurum prodigio, quoties ea ratione requireretur a Judæis. Hinc forte derivata ſunt, quæ de aquis ſtygiis, per quas dii jurabant, leguntur apud Poetas. Deſiit apud Judæos mos ille jam inde ab everſione Templi per Romanos. Verum ſi maritus aliquid de uxore ſuſpicatur, vetat, ne procum aſpiciat; refractariam ſi invenerit, e thoro abjicit (*a*).

Sponſalia apud Hebræos.

IX. Præcociſſima erant apud Hebræos connubia, & communia. Feminis annus 12. exactus a Rabbinis præſcribitur; viris vero annus 18. Hanc ætatem ſi quis cælebs exegerit, ille, ajunt, tranſgreſſus eſt Dei preceptum: *Creſcite, & multiplicamini* (*b*). Facile hinc intelligimus, cur virginitas opprobrio eſſet Iſraelitis (*c*). Sponſalia cum puellarum parentibus ſanciebantur, ut obſervare licet in connubio Samſonis, Rebeccæ, & Saræ uxoris Tobiæ junioris; ea vero confirmabantur ipſarum puellarum aſſenſu, vel ſaltem cohabitatione cum viris. Succeſſit deinde ſcriptum; cujus defectum ſupplebat tradita coram teſtibus a ſponſo argentea aliqua moneta puellæ cum proteſtatione: *Ecce tu mihi ex hoc ſponſa ſis*. Loco hujus monetæ nunc annulus adhibetur (*d*). Receptum erat apud Hebræos, ut ſponſus

P 3

(*a*) Leo Modena par. 4. c. 6.

(*b*) Leo Modena l. 4. c. 3. Gen. 1. 28.

(*c*) Judic. XI. 37. Iſai. IV. 1. Cant. VIII. 1.

(*d*) Selden. l. 2. c. 2. Uxor. Hebr.

ſus exhibito pretio, vel labore,' ceu dote, ſponſam ſibi emeret, cujus rei vadem exhibemus Jacobi, & Dinæ hiſtoriam (*a*). Conciliatis ſemel ſponſalibus, mutuo virum inter & mulierem familiaritas, non tamen licentia permittebatur. A ſponſalibus plures ſæpe anni intercedebant ad nuptias, vel ob ſponſorum adhuc teneram ætatem, vel ad decoris incrementum, vel aliis de cauſis. Ubi Hebræi utrinque de nuptiarum conditionibus & tempore convenerint, eorum omnium contractum exarant. Deſponſæ ſi quis vitium intuliſſet extra civitatem, procus tantummodo interibat; ſi vero intra urbem, uterque; femina enim cauſare non poterat, quippe quæ clamando ſe ſe ſubducere valuiſſet (*b*).

Nuptiarum ritus. X. Nuptiæ celebrantur ſub dio, vel in aula. Sponſus uterque nigrum gerens velum ſub umbella locantur, & altero quadrato velo, quod *Taled* appellant, utriuſque caput protegitur. Rebeccam velaſſe faciem ſuam cum obviam habuit Iſaacum, ac Booz ſuper Ruth extendiſſe pallium, narrat Scriptura; quo Hebræi illa cæremonia reſpiciunt (*c*). Olim ſponſorum capiti coronæ imponebantur (*d*); nunc caput illorum Judæi frumento ſpargunt, illud interim apprecantes: *Creſcite, & multiplicamini*. Plurimæ virgines honoris gratia ſponſam, plurimi autem juvenes ſponſum nuptiarum die comitabantur, ita tamen ut neque

(*a*) Gen. XXIX. 26. XXXI. 15. XXIV. 11.

(*b*) Deut. XXII. 23.

(*c*) Gen. XXIV. 65. Ruth III. 7.

(*d*) Cant. III. 2.

que in menſa, neque in ludis, neque in domiciliis inter ſe convenirent (*a*). Nuptiarum ſolemnitas ad ſeptem plerumque dies in ſponſæ paterna domo protrahebatur (*b*); quibus elapſis ſponſa in ſponſi domum ſolemniter traducebatur (*c*); ubi convivia, & choreæ. Sponſæ ingreſſus in nuptiale cubiculum, quamvis ex aliquo impedimento matrimonium non conſummetur, ex Rabbinorum ſententia conjugium perficit, quod neque a benedictionibus, quæ nuptiarum tempore proferuntur, neque ab aliis cæremoniis, omnino confici arbitrantur (*d*).

Uxor menſtruata. Sponſa ſine virginitate inventa.

XI. Viris ad uxorem menſtruatam accedere nefas; quod quidem crimen ad judicium delatum capitale erat (*e*). Sponſo permittebatur, ut ſponſam, quam ſine virginitate deprehenſam diceret, in judicium vocaret. Patri, vel ejus loco neceſſariis, aut tutoribus cauſa defendenda erat, expanſo coram judicibus, ſi quod habuerit, panno ſanguine puellæ infecto (*f*). Hebræorum tamen doctores tradunt, nihil aliud fere productum fuiſſe, quam teſtes, facile matronas, virginitati puellæ faventes. Si accuſatio falſa probaretur, virgas ſive fuſtes accuſator ſubibat, pretio inſuper 100. ſiclorum perſoluto. Si vero femina criminis rea convinceretur, producta ante domum pater-

 nam

(*a*) Matth. xxv. Jo. III. 29. Jud. XIV. 17. Cant. VI. VIII. 13.

(*b*) Gen. XXIX. 27. Jud. XIV. 17. Tob. XIII. 23.

(*c*) Mach. IX. 37. Matth. xxv.

(*d*) Calmet diſſer. de Hebræor. Connubiis.

(*e*) Exod. XX. 17. Deut. V. 20.

(*f*) Deut. XXII. 15.

nam lapidibus obruebatur. In ceteris rerum eventibus falſi teſtes, vel delatores, morte, ſive pœna talionis puniebantur. Nil tale hic videtur. Probant hæc, feminarum apud Hebræos conditionem paulo ſuperiorem ac ancillarum habitam fuiſſe.

Hebræorum Politia.

CAP. VI.

Nullus ante Moyſem publicus Magiſtratus.

I. ANte Moyſem nullum regimen apud Hebræos videre licet, eo tantum excepto, quod Patribus-familias in ſuos domeſticos competere poteſt. Grotius tamen, & Bertramus autumant, Seniores illos, quos Moyſes in Ægypto convenit, ſenatum quemdam conſtituiſſe 70. Patrum ex univerſis Tribubus electorum, quorum arbitrio res Iſraeliticæ moderarentur, ſecundaria tamen a Regibus Ægypti auctoritate (*a*). Verum Calmetus deſignatos eo nomine cenſet Tribuum Principes, & viros in populo ampliſſimos; quibus tamen nulla eſſet in gentem univerſam poteſtas. Moyſes igitur omnium primus plenum in populum ſuum jus obtinuit, ſoluſque Rempublicam rexit, donec Jethrone auctore miniſtros, quibus onere aliquo levaretur, elegit (*b*). Poſt aliquod tempus Moyſes Iſraelitarum nunquam quieſcentium querelarum pertæſus (ſi cui officio defuiſſet populus, ſi dati Judi-

(*a*) Grot. in Exod. IV. Calmet. in Exod. III. 16. 29. Bertram. de Rep. Hebr. (*b*) Exod. XVIII. 25.

Judices diſplicerent populo, invidia redundabat in Moyſem) a Deo poſtulavit, ut alios adjutores ipſe ſibi ſufficeret. Roganti Deus acquievit, datis illi 70. viris, eodem, quo Moyſes ipſe afflatus erat, ſpiritu repletis (*a*). Manſiſſe tamen credimus & conſtitutam antea politiam: quibus Judicibus collata fuit forte auctoritas dirigendi res civiles, & militares; alia vero judicia ordinaria ad Senatum 70. deferebantur; exceptis cauſis gravioribus, de quibus ipſe Moyſes cognoſcebat.

Judicia a Moyſe conſtituta, quæ Theocratiam referunt.

II. Ita conſtitutæ res toto itineris ſpatio. Verum reputans Legislator futurum, ut in terra Promiſſionis ea politiæ ratio haberetur incommoda, juſſit conſtitui in ſingulis urbibus Judices, & magiſtratus pro cauſis cognoſcendis, ita tamen ut, ſi quid gravius emerſiſſet, illud ad locum, quem Deus elegiſſet, defferretur, a ſummo Sacerdote judicandum (*b*). Hæc quæ ex Scriptura ſcimus, confirmat Joſephus, tradens, conſtitutos a Moyſe in ſingulis urbibus ſeptem Judices, qui adhibitis duobus Levitis jus civibus dicerent: majoris tamen indaginis cauſæ, ait, ad urbem a Domino ſelectam, ſummo Sacerdoti, Prophetæ, & Senatui deferuntur (*c*). Ex eodem Joſepho habemus, Judæorum Rempublicam genus quoddam politiæ conſtituiſſe, quod Theocratia jure meritoque appellaretur. Nec ſane Sacerdotes aliter de cauſis cognoſcebant, quam delegata ſibi a Deo auctoritate, ejuſque tribunali

(*a*) Num. XI. 16. XVII. 8.
(*b*) Deuter. XVI. 18.& (*c*) Antiq. l.10. c. ult.

li veluti aſſidentes, coram Arca, & in loco a Deo ſelecto judicia ferebant. In cauſis diſcutiendis legum oracula conſulebantur, nec raro ſummus Sacerdos non prius judicabat, quam Urim & Thummim ferens a Deo edoceretur.

Politia inſtauratur. III. Ad hanc politiæ normam Hebræorum Rempublicam nunquam non reformandam curarunt viri illi religioſi, qui hanc provinciam identidem ſuſceperunt. Inter hos Joſaphat Rex Juda enituit; cum enim regnum ſuum ad priorem formam revocaret, urbium cuilibet Judices præfecit; quibus non hominum, ſed Dei judicium gerentibus, juſtitiam quam maxime commendavit. Duo præterea Tribunalia, alterum Sacerdotum, & Levitarum, quod ea, quæ ad Deum; alterum Principum familiarum, quod ea, quæ ad Regem pertinent, dirimerent, Hieroſolymæ erexit (*a*). Quare ſi non adeo conſtans ejus rei ſucceſſio in Hiſtoria appareat, in cauſa fuiſſe credendum eſt, quod nec Judices, neque Principes, recti ſemper tenaces apud illos regnarent; quodque ſegnior quandoque populus Religionis ſuæ exercitium negligeret & a bello, & captivitate non raro turbaretur.

Norma eligendi Regem. IV. Futurum etiam prænoſcens Moyſes, ut Iſraelitæ tandem poſcerent ſibi Regem, more aliarum gentium, illis eum permiſit. Porro Rex ille e medio populi, non ex alienigenis, communi ſuffragio eligendus erat (*b*). Si Deus Davidi promiſit, aſſerturum ſe in ejus familia

(*a*) 2. Paral. XIX. 5. (*b*) Deuter. XVII. 14.

lia Regnum, derogatum eſt in ea re, non tantum Moyſis legi, ſed juribus Principatus, poſtulantibus eligi Reges, non naſci. Vetitum Regi equorum numerum augere, populum illis emendis in Ægyptum mittere, feminarum, quibus cor facile avertitur, gregem nutrire, divitiis ſtudere, fratres inclementer habere. Legis exemplar a Sacerdotibus acceptum, apud ſe, ſuis, ut vult Philo, manibus exaratum habere, eamque ſibi agendi normam præſcribere debebat.

V. Moyſes monarchicum ferme Imperium exercuit, cui Senatus 70. Judicum adſiſtebat. Sub eo, Deus per ſe, fere dicam, de omnibus diſponebat, in ſingulis rerum eventibus ſuam declarans voluntatem. Parum florenti huic Theocratiæ ſtatui deceſſit, cum Joſue ad Reipublicæ clavum admotus eſt. Sub Judicibus varius rerum ſtatus; modo ſine Principe unuſquiſque ſuo ducebatur arbitrio; modo Judicibus, modo hoſtibus parendum erat. Porro Judices totidem erant Heroes, quos per intervalla mittebat Deus, oppreſſæ gentis liberatores. Archontes Athenienſium, & Romanorum Dictatores aut vix, aut nihil ab Hebræorum Judicibus diſcrepabant. Saul, & David electi ſunt a Deo. Fatendum eſt utique, Reges Juda, & Iſrael poſt Davidem ſæpe gerere voluiſſe Imperium diſpoticum, raroſque inter Principes ad Theocratiæ normam, & ad legis præſcriptum Regnum ſuum direxiſſe. Nihil tamen mali fuit, quod in caput & Regnum ſuum proinde non provocarint, inque terras remotiſ-

Non unus regnandi apud Hebreos modus.

tiſ-

tiſſimas omnes tandem diſperſi ſunt. Per illud nihilominus temporis ſpatium ſuſcitabat Dominus Prophetas non infrequentes, qui reprehenderent, caſtigarentque improborum Regum ſcelera, tum & opponerent ſe, tamquam murum æneum, contra illorum molimina, Dei jus integrum, ſanctumque tuentes.

Quæ in Captivitate, & poſt Captivitatem regnandi ratio.

VI. In captivitate Babylonica Hebræis ſuos fuiſſe Judices, & politiam, ex Suſannæ Hiſtoria probe ſcimus. Fruſtra tamen toto captivitatis tempore quæras exactum quoddam politiæ regimen apud Judæos. Quin nec ſatis conſtantem Reipublicæ ſtatum demonſtraremus adhuc poſt ſolutam captivitatem, quandiu Hebræos imperio ſuo ſubjectos habuerunt Reges Perſidis, & Græci ſucceſſores Alexandri. Inter totius tamen gentis Optimates, primas tenuiſſe ſummos Sacerdotes, compertum habemus. Machabæi, excuſſo Regum Syriæ jugo, priſtinam populo libertatem aſſeruerunt, titulumque ſibi adſciverunt Principum, & Regum Judæorum; quam quidem politicam dignitatem illuſtriorem reddebat ſummi Pontificatus gloria, & faſtigium. Tunc ad literæ rigorem impletum eſt Moſaicum illud: *Eritis mihi Regnum ſacerdotale* (a). Secundum hæc, exterorum armis & natio, & Reſpublica univerſa deleta eſt.

Tria Tribunalium genera.

VII. Hæc de Hebræorum politia apud Scripturam, & Joſephum. Si autem Rabbinos, & nonnullos etiam ex illuſtribus Commentariorum Scriptores audiamus, tria genera Tribuna-

(a) Exod. XIX.

nalium habebant Judæi. Primum e tribus Judicibus, alterum e 23. ultimum e 70. collectum erat. Tribunal trium Judicum erat in ſingulis vicis, ubi ſaltem 120. incolæ morarentur: cognoſcebat autem de pecuniis, & bonis mobilibus. In urbibus vero Tribunal 23. Judicum conſtituebatur, cui etiam jus ſanguinis inerat. Porro hujus generis Tribunalium duo Hieroſolymis erant erecta. Tertium tandem Tribunal, unicum illud, ſedem tantum in Aula Templi habebat. Huic graviſſimo Tribunali, græce *Synedrium*, nempe Cœtus, dicto, nomen eſt apud Judæos, *Domus Judicii*. Præerat huic cœtui *Naſi*, ſive Princeps; alter ejus vices gerens, *Ab-beth-din*, nempe Pater Domus Judicii, dicebatur; cui tertius ſuccedebat *Chacam*, videlicet Sapiens. Ceteris Seniorum ſive Senatorum nomen manebat. Sunt, qui Regem, & ſummum Sacerdotem, utpote nimia auctoritate pollentes, excludant ab hoc Tribunali; aliis contraria probantur. Ejus conſeſſus Aula rotundo opere conſtructa, partim intra Templum, partim extra, continebatur. Semicirculum intra Templi ambitum comprehenſum rei occupabant ſtantes; alterum ſemicirculum extra poſitum, Patrum ſubſellia, quod nefas eſſet in Templo aſſidere. Hic Chriſtum a Pilato damnatum quidam autumant (*a*). Magni Synedrii ſumma erat auctoritas; illuc enim ex omnibus inferioribus Tribunalibus cauſæ appellatione devolvebantur.

(*a*) Vide hanc Hiſt. l. 14. c. 3. n. 8.

tur. In Reges ipſos, in ſummum Sacerdotem, & in Prophetas poterat.

Tempus, quo Synedrium duravit.

VIII. Jam inde vero Synedrium incepiſſe dicunt Judæi, ex quo Moyſes muneris ſui vicem 70. viris commiſit; perſeveraſſe autem etiam poſt everſum a Romanis Templum, Jamniæ, tum Jerichunte, atque ordine Uſam, Sepharvaim, Bethſanim, Sephorim, an tandem Tiberiade. Quoad initium ſpectat, Grotius illis fere conſentit; ſed exitum ad initum Magni Herodis Regnum conſignat, quando nimirum cæde Judicum primordia ſui Principatus funeſtavit, ut refert Joſephus. Alii Synedrium repetunt a Gabinio Præſide Judææ, qui in quinque urbibus conſtituit Tribunalia, nempe Hieroſolyma, Gadara, Amathunte, Jericunthe, & Sephorim. Viſum eſt aliis id tribuere Judæ Machabæo, vel illius fratri Jonathæ. Porro certum eſt, Moyſem conſeſſum 70. Seniorum conſtituiſſe. An autem eadem hujus Senatus forma ac Synedrii fuerit, ignoramus. Sub Joſue, Judicibus, ac Regibus eoſdem Judices manſiſſe, nullibi legimus. Nihil etiam de illis uſque ad Jonathæ ætatem. Sub Machabæo illo Senatum una cum ſummo Sacerdote legationem ad Romanos miſiſſe, certi ſumus (*a*). Quæ Gabinius conſtituerat Tribunalia, diverſa profecto erant a Synedrio unico illo, atque Hieroſolymæ conſtituto. Tandem quo tempore Chriſtus in vivis agebat, aliquem Senatum viguiſſe, jure tamen ſanguinis privatum, Joannes ceteris Evangeliſtis conſen-

(*a*) 1. Machab. XII. 6.

ſentientibus, teſtatur (*a*). Quod ſpectat ad numerum trium Tribunalium, nihil de ea re habet Joſephus, qui unum tantum, non ex 23. Judicibus, ſed ex 21. conſtans, deſcribit. Jeſus tamen in Evangelio tria diſtinguere videtur (*b*).

IX. Scriptura nomen *Porta* adſcribit loco, ubi cœtus Judicum aſſidebat. Cum enim Judæi vulgo in agris exercerentur, locum Tribunalibus præ urbium portis conſtituere viſum eſt, quo liter commodius expedirentur. Hujus Judicii locus ſæpius ſe ſe offert, præcipue vero in nuptiis Ruth, & in emptione agri pro Saræ ſepulcro (*c*). Regia Imperatoris Turcarum, Porta etiam nunc appellatur. *Locus juris dicundi conſuetus.*

Leges bellicæ.

CAP. VII.

I. E Legibus bellicis omnium prima occurrit, ut quibus bellum indicendum erat, æquis antea conditionibus pax offerretur; renuentibus bellum indiceretur (*d*). Duo tamen bellorum genera apud Hebræos erant. Quædam Dei præcepto neceſſaria, ut in Amalecitas, & Chananæos, anathemati devotas gentes. Quæ quidem bella, lex pacis, quantum videtur, non tangebat. Quædam vero duces He- *Pax ante bellum offerenda.*

(*a*) Joan. XVIII. 32.

(*b*) Matth. v. 22. Vide hanc Hiſtor. l. 12. c. 2. n. 3. & Diſſert. Calm. de Hebr. Politia.

(*c*) Deut. xx. 10.

(*d*) Deut. xx. 2.

Hebræorum ſponte ſuſcipiebant in ultionem illatæ injuriæ, ſeu in vindictam criminis, vel alia juſta de cauſa. Huc lex pacis ſpectat.

Quamvis multis licentia remanendi permitteretur, exercitus tamen Hebræorum erant copioſiſſimi.

II. Ante prælium Sacerdos Dei opem adfuturam pollicitus, milites ad certamen incitabat (*a*). Deinde Duces ſuæ ſinguli turmæ, elata voce regreſſum indicebant iis, qui ſive novam domum ædificaſſent, ſive vineam novam plantaſſent, ſive tandem novam uxorem duxiſſent. Durum enim nimis videbatur futurum, ſi fortaſſe in bello decedentes, partas ſuis laboribus poſſeſſiones, ne tantillo quidem obtentas, ad alienos tranſmittere cogerentur. Poſt hæc coram univerſo exercitu, formidoloſis omnibus, ut ſe a periculo ſubducerent poteſtas concedebatur, ne ſuo exemplo in alios terrorem inducerent. Hiſce omnibus peractis, qui reliqui fuerant, ordinabantur in prælium. Mirum autem eſt in tanta remanendi licentia, Abiam Regem Juda duxiſſe exercitum 400000. in Jeroboamum Regem Iſrael, qui occurrebat cum 800000. Joſaphato vero Regi Juda, 1160000. abſque dipoſitis per arces cuſtodibus, præſto fuiſſe milites (*b*). Hujuſce tamen rei minuit difficultatem, quod olim militiæ ad vitæ profeſſionem non redigebatur, quodve milites publica impenſa non detinebantur. Milites ſimul erant, & cives, & agri cultores, commeatumque ſibi, & arma quiſque providebat. David omnium primus perpetuo pu-

(*a*) Deut. XVII. 5. Ruth IV. 1. Gen. XXIII. 10. 18. Hieron. in Zach. 8.

(*b*) 2. Paral. XIII. 3. 17. & XVII. 14. 19.

publiciſque impenſis ſub ſignis milites habuit (*a*). Sed hujuſmdodi beneficio non omnes, qui poſtea adlecti ſunt milites, fruitos fuiſſe, ſaltem uſque ad Simonem Machabæum (*b*), pronum eſt ut credamus. Eo etiam facit, quod expeditiones de quibus agit Scriptura, plerumque paucorum dierum ſpatio abſolverentur.

III. Signum certandi tubarum ſono a Sacerdotibus dabatur (*c*). Sedulo tamen diſtinguenda ſunt duo buccinarum genera: alterum, de quibus modo, ſolis Sacerdotibus permiſſum: alterum, quod ipſiſſima erant cornua in uſum ducum cogendis militibus, & canendo receptui deſtinata (*d*). *Quinam bellandi ſignum darent.*

IV. Si oppugnanda urbs, atque longior immineret obſidio, contra quam propterea turres, & aggeres, pro more illorum temporum, ſtruendi eſſent, cautum erat, ne ullæ arbores frugiferæ, ſive arva cæderentur, quod alendis exercitibus cibum ſuppeditarent (*e*). *In obſidione arbores frugiferæ non cædendæ.*

V. Vi urbe expugnata, contra viros quidem victorum iram exercere fas erat; feminæ vero, pueri, & bruta in victorum poteſtatem viva veniebant. In urbibus tamen Amalecitarum, & Chananæorum omnes viri, feminæ, pueri, bruta, una clade involvebantur (*f*). Malunt tamen plures hæc de illis intelligere, *In expugnatione quibus vita donata.*

Q qui

(*a*) 2. Reg. XIII. 1. 17. 1. Reg. XIII. 3. 2. Reg. Paral. XI. 2. Paral. XXVIII. 11. 28.

(*b*) 1. Machab. XIV. 32.

(*c*) Num. X. 8.

(*d*) Judic. VI. 34. XIII.

(*e*) Deut. XX. 19.

(*f*) Deut. XX. 13.

qui imperata facere, idola deſerere, atque in proſelytos tranſire recuſaſſent. Quidquid ſit de hac opinione, inſuetæ illius crudelitatis exempla divinæ juſtitiæ rigor, ſupremumque Numinis in vitam necemque imperium, ab omni criminis ſuſpicione excuſat. Communes tandem belli leges ſanciunt, ne ferrum adhibeatur, niſi in eos qui ad reſiſtendum, armaque ferenda ſunt apti.

Prædæ diviſio. Quo ritu femina captiva in uxorem adſciſceretur.

VI. Ex præda opimior portio duci cedebat. Si quid fuiſſet ditiſſimum, illud munus Domino in Templo conſecrandum reſervabatur. Quidquid reliquum erat, æquis portionibus inter milites, tam eos qui manus conſeruiſſent, quam qui ad ſarcinas remanſiſſent, dividebatur (*a*). Antequam ſpolia in caſtra reducerentur, prævia purificatione expiabantur; metalla quidem, & ſi quæ alia ignem paterentur, flamma, cetera vero aqua. Ex feminis captivis ſi quam herus, cui ceſſerat, uxorem ducere voluiſſet, poſt abraſos ejus crines, amputatas ungues, detractaſque veſtes, cum quibus capta fuiſſet, conceſſumque integri menſis luctum deflendis amiſſis parentibus, ſtatim ſibi copulabat. Si vero ſuccedente tempore eam tandem faſtidiiſſet, illam libere dimittebat (*b*).

Diſciplina in Exercitu ſervata. Duces ſupremi & ſecundarii.

VII. Diſciplinæ militaris in caſtris Iſraelitarum non ſegniter ratio habebatur. Quem locum Tribus circa Arcam tenerent in deſerto, quove ordine diſponerentur in profectionibus; ali-

(*a*) Num. XXXI. 27. 1. (*b*) Deut. XXI. 11. Reg. XXX. 24.

alibi deſcriptum eſt (*a*). Si quando Arcam in caſtra poſt illud tempus transferri contigiſſet, in medio uti prius collocatam fuiſſe, ne ambigimus quidem. Facile Tentorium Imperatoris eundem locum, quem Domini Arca, ſive Tabernaculum, poſtquam illi certa data fuit ſedes, tenebat. Toti exercitui præerat Imperator. Singulis Tribubus ſuus erat Dux; potiſſimæ autem Tribus princeps imperium in geminas alias Tribus, earumque duces exercebat. Singulæ itidem Tribus in plura agmina, quæ mille conſtarent militibus, diſtinguebantur. Porro mille illi diſtribuebantur in cohortes, ſive centurias; hæ in duas quinquagenas militum; ac tandem quinquagenæ illæ adhuc colligebantur ex manipulis decem militum, & decem ex trium, ut duo milites tertio alteri parerent. Hinc Tribuni, Chiliarchæ, Centuriones, Quinquagenarii, Decuriones, Triarii. Nihil tamen certi definiri poteſt, an ſub Moyſe, & Joſue ſingulæ Tribus modo, quo diximus, diſtributæ eſſent; & forte unicum tunc omnes tantum corpus formabant. Qui genti præerat, ſive univerſo populo, arma capere jubebat, ſi res ita poſceret, vel ſelectiſſimos quoſque mittebat in expeditionem, ſi minori molitione res agenda fuiſſet.

VIII. Hebræos non incondite, & confuſe præliatos fuiſſe, ſed & belli ordinem tenuiſſe egregium, & inſtructo agmine certaſſe, exploratum tenemus. Quin D. Eques Folard attento oculo inſpexit omnes textus, in quibus de præ- *Judicium Equitis Folard de Hebræorum præliis.*

(*a*) Vide hanc hiſtor. l. 3. c. 12. n. 4.

prӕliis, obſidionibus, & expeditionibus militaribus ſacra loquitur Hiſtoria. Omnia vero quӕ ad illa pertinent, ita clare, & diſtincte refert, pingitque, ut non melius teſtis oculatus; qui etiam contendit, Grӕcos, Romanoſque nonniſi imitatione ad ſe adſciviſſe, quӕ diu antea obtinuerant apud Orientales, nempe apud Ægyptios, Hebrӕos, Chaldӕos, Aſſyrios, Perſas. An autem nonnulla divinando dixerit auctor, alii judicabunt.

Hebrӕorum exercitus peditibus plerumque conſtabant. Quӕnam illorum arma.

IX. Olim ab exordio ſoli erant in exercitu Hebrӕorum pedites. Imperatores ipſi de pede certabant. An Saul, & David equitibus, ſive curribus uterentur, nullibi paret bſalom fugiebat mulӕ inſidens. Sequioribus vero annis Reges Juda & Iſrael curru devecti pugnabant. Peditum tamen robur nunquam declinavit a Moyſe aduſque excidium Jeruſalem. Adhibitus eſt quidem a Regibus aliquando equitatus; verum imbecillis erat adeo, ut vix dignum aliquod militare facinus geſſerit. Arma ad defenſionem erant galea, lorica, clypeus, ocreӕ; ad injuriam autem inferendam, gladius, jaculum, lancea, haſta, arcus, ſagitta, funda. Nullӕ veteribus machinӕ bellicӕ; hinc urbium obſidiones ad longum tempus protractӕ. Oſias tamen armentaria comparavit, in quibus, prӕter alia, machinӕ jaciendis magnis lapidibus aptӕ viſebantur (*a*). Porro Rex ille cepit Juda Principatum anno mundi 3194. Poſt 70. circiter annos arietum uſus con-

(*a*) 2. Paral. XXVI. 14.

contra Jeruſalem in Ezechiele deſcribitur (*b*).

X. Sordibus ablegandis plura conſtituta erant. Mulieribus aditus in caſtra interdictus. Si quis licet imprudens inter dormiendum pollutionis aliquid contraxiſſet, ille extra caſtra uſque ad veſperam ſe continebat; nec niſi pura toto corpore, & veſtibus lotus regredi permittebatur (*b*). Singuli milites paxillum cingulo appenſum deferebant, ut ſcrobem excavarent, cum e caſtris egrederentur, ut naturæ neceſſitatibus ſuccurrerent. Poſt cædem tota hebdomada milites, utpote contactu cadaverum polluti, a caſtris abſtinebant (*c*); ante regreſſum vero ſolitæ luſtrationes, iis qui funeribus adfuiſſent, præſcriptæ, peragebantur. Verum ſi ab univerſo populo prælium commiſſum fuiſſet, tunc contracta ab omnibus legali impuritate, alter alterius conſortium vitare non tenebatur (*d*).

Pro ſordibus ablegandis leges.

(*a*) Ezech. IV. I. XXI. 22. XXVI. 8.
(*b*) Deut. XXIII. 12.
(*c*) Num. XXX. 19.
(*d*) Vide Calmet diſſert. de re militari, & Folard de Tactice Hebræor.

Votum, Nazareatus, Judicium, Homicidium, Impudicitia, Furtum, Fenus, Mancipium, in bruta humanitas, commercium cum quibuſdam interdictum.

CAP. VIII.

Homines voto obſtricti redimi poterant.

I. SI quis ſe ipſum Domino devoviſſet, vel ipſi juxta ſui voti conditiones famulari, vel redimi debebat. Viris ab anno ætatis 20. uſque ad 60. mulcta quinquaginta ſiclorum argenteorum, feminis triginta indicta. Ab anno quinto ad vigeſimum viri 20. ſiclos, feminæ 10. pendebant. Pro puero uſque ad quintum quinque ſicli, pro puella tres ſolvebantur. Sexagenarii & his majores viri 15. ſiclis, feminæ decem liberabantur. Pauperes pro facultatum modulo, ad Sacerdotum arbitrium. Ceterum vel vota nulla fiant, vel ſtatim impleantur (*a*).

Aliis rebus redemptio non ſemper conceſſa.

II. Animal Sacrificio aptum, ſi voto obnoxium fuiſſet, redimi non poterat; ſacrificio vero impar, a Domino tantidem redimebatur, quanti illud Sacerdos æſtimabat; cui quinta ejuſdem pretii pars addebatur. Idem cum domibus, agriſque devotis, ac decimis Dei Miniſtris debitis, ſervabatur. Anathemati ſubjecta, nunquam quæcumque ea forent, redimi poterant; ſed animalibus interfectis, cetera Deo, & Sacerdotibus aquirebantur. Filiorum vota irrita erant, niſi parentum conſenſu firma-

(*a*) Levit. XXVII. 2. Deut. XXIII. 21.

marentur. Eadem dicito de uxoribus. Viduæ tamen, & repudiatæ voto tenebantur (*b*).

Nazareorum ritus.

III. Nazaræi genus erat virorum Deo devotum, abſtinentiam a vino, meraciſque liquoribus profitentium, quibus intonſa erat coma, totoque Nazaræatus tempore ad funera acceſſus interdictus. Si forte quiſpiam coram ipſis occubuiſſet, ab initio cæremoniæ ſuæ conſecrationis repetendæ erant, atque inſuper duæ turtures vel columbæ, altera in holocauſtum, altera pro peccato, offerendæ. Hæ autem cæremoniæ ut plurimum, ad dies octo, aliquando ad menſem, interdum ad totius vitæ tempus, ut in Samſone, Samuele, & S. Joanne Baptiſta videre eſt, protrahebantur. Elapſo voti tempore ante fores Templi a Sacerdotibus ſiſtebantur, ſtatimque agnus in holocauſtum, ovis pro peccato, aries in hoſtiam pacificam, offerebantur; additis panis, lagani, & vini libationibus. Victimis immolatis, Nazaræi coma abradebatur, igne Altari abſumenda. Dein traditum ſibi a Sacerdote armum arietis, & panis, & lagani oblationem Nazaræus iterum Sacerdoti reſtituebat, coram Domino elevanda. His peractis, poterat vinum bibere, abſoluto ſui Nazaræatus voto (*a*). Qui extra Palæſtinam Nazaræatum profitebantur, nec ſub dierum ſui voti finem ad Templum accedere poterant, iis ſatis erat, ut ubi morabantur, comam ſibi præciderent, cetera reſervantes, cum Jeroſolymam perveniſſent;

(*b*) Num. XXX. I. Deut. XXIII. 21.

(*a*) Num. VI. I.

quod in Pauli hiſtoria clariſſime liquet (*a*).

Unde comam tondendi ritus. IV. Ritus ille recidendi comam, & diis offerendi, tota antiquitate pagana celebratur. Spencerus nunquam in animum inducere potuit, paganos, qui ſummo ſemper, uti quidem ille putat, odio & contemptu Hebræos execrabantur, mores illorum ea in re adoptare voluiſſe (*b*). Opinionis quidem ſuæ quoſdam habet ſuffragatores, quibus accedere videtur & S. Cyrillus Alexandrinus (*c*). Aliis tamen contraria omnia probantur.

Quæ in Judiciis ſervanda. V. Cavet Lex, ne Judices ſententias vendant, ne munera accipiant, ne vulgi ſententiæ æquitatis diſpendio accedant (*d*); ne præpoſtera in pauperes miſericordia, ſive in divites obſequio, a juſtitiæ tramite deflectant; ne inſontem ſive advenam fraudent; neve tandem cujuſcumque perſonam reſpiciant (*e*). Pater pro crimine filii, & viciſſim filius pro ſcelere patris non puniatur. In pœnis exigendis ſummum jus evitetur; occiſorum reorum cadavera poſt Solis occaſum in ſupplicio appenſa non relinquantur; fuſte, ſive ad virgas damnatis, ictus ultra 40. non inferantur (*f*). Si qui falſi teſtes deprehenduntur, ejuſdem rei habendi, quod fratribus imputarunt (*g*); vitamque pro vita, oculum pro oculo, omni quoad illos dementiæ aditu præcluſo, pendere co-

(*a*) Act. XVIII. 18.

(*b*) De Legib. Hebr. ritual. diſſert. 1.l.3. c. 6.

(*c*) De Adorat. l. 16.

(*d*) Exod. XXIII. 2. 8.

(*e*) Deut. XVI. 18.

(*f*) Deut. XXI. 22. XXIV. 16. XXV. 2. XXIX. 18. Levit. XIX. 16.

(*g*) Deut. XIX. 16.

cogantur. Verum reis damnandis non unius tantum, ſed duorum, vel trium teſtimonium quæratur (*a*). Judicandi filios, uſque ad legis promulgatæ tempus, penes parentes jus erat, uti ex hiſtoria Judæ damnantis Thamar arguunt Interpretes; quod quidem Moyſes deinde in Judices ita tranſtulit, ut reos violati in parentes obſequii, ſive verbo, ſive percuſſione, ſive contumacia, ſola eorumdem parentum delatione accuſatos, ultimo ſupplicio puniendos juſſerit (*b*); quanquam nihil contra parricidas, quaſi contra rem, quæ evenire nequeat, in lege præſcriptum ſit. Neceſſitate ad extrema cogente, filios in ſervitutem vendere patri permiſſum; qui tamen alterius filias emebant, non captivas, ſed uxores ſibi, vel filiis ſuis comparare cenſebantur (*c*); ſecus illas manumittere cogebantur.

Homicidium. VI. Homicidium capitale erat. Neci ſponte illatæ nulla impunitas, cujus reum interimere vel ipſe occiſi propinquus permittebatur. Qui vero alterum imprudens peremiſſet, exilio ad urbes refugii ſeſe ſubmittebat (*d*). Jus aſyli alibi deſcriptum habes. Si duobus viris jurgantibus, alter alteri vulnus ita inflixiſſet, ut ſauciatus decumbere cogeretur, ac deinde ita convaluiſſet, ut ſcipione fultus incedere potuiſſet, tunc qui injuriam intulerat, impenſis in medicum, & operibus alteri perſolu-

(*a*) Exod. XXI. 15. Levit. XX. 9. Deut. XXI. 18.

(*b*) Exod. XXI. 7.

(*c*) Exod. XXI. 14. Num. XXXV. 27. 28. 31

(*d*) Exod. XXI. 19. Deut. XXXV. 2.

lutis, abſolvebatur. Qui captivum ſuum occidiſſet, crimine homicidii reus habebatur; ſi vero ita vulneraſſet, ut ad unam & alteram diem vitam produceret, impunis abibat; ipſe enim mancipium poſſidet, ejuſque diſpendio perit. Si duabus rixantibus femina feta, caſu tranſiens, percuſſa abortum patiatur, tunc femina ſuperſtite, reus mulctam arbitrio mariti, & virorum prudentum judicio, perſolvat; ſi vero obierit, pœnam talionis ſuſtineat. Herus oculum, ſive dentem mancipio excutiens, illud manumittat (*a*). Si femina viro ſuo rixante accurrens, adverſarii pudenda manu contigerit, manus abſcindatur (*b*). Bos, qui hominem cornibus transfoderit, lapidibus obruetur; dominus vero, cui petulans bovis ingenium innotuerat, nec illud antea incluſit, vel morte damnabitur, vel requiſitam mulctam perſolvet. Mancipio illata a bove mors, bovis ejuſdem lapidatione, & 30. ſiclorum pretio hero perſoluto, expiatur. Si bos bovem transfodiſſet, occiſi carnes pretiumque ſuperſtitis inter utriuſque dominos æque dividebatur. Si putei defoſſi os non occluderetur, indeque bos, ſive aſinus in illum incidens periiſſet, domini ejuſdem putei diſpendio peribat; ad quem tamen carnes defuncti animalis pertinebant. Si forte interempti hominis cadaver inventum fuiſſet, ignoto ſceleris auctore, Seniores omnes, & Judices propinquæ regionis ad locum ubi cadaver jacebat,

(*a*) Exod. XXI. 28. vit. XX. 10. Deut. 2. 18.
(*b*) Exod. XX. 14. Le- XXII. 21.

bat, convenire opus erat; & poſt declaratum ſedulo examine, quænam proximior urbs haberetur, a Senioribus ejuſdem urbis ſtatuebatur in medium vacca a jugo adhuc intacta, deductaque in vallem incultam, ibi mactabatur. Tum accedebant Seniores coram Sacerdotibus Domini; lavanteſque in ſanguine manus proteſtabantur: *Manus noſtræ non effuderunt ſanguinem hunc, nec oculi noſtri viderunt. Propitius eſto populo tuo Iſrael, quem redemiſti, Domine* (*a*). Hæc omnia majori homicidii horrori incutiendo præſcripta erant.

VII. Adulterii crimen, inceſtus, ſodomia, & a quibus natura abhorret, flagitia capitali pœna puniebantur (*b*). Meretrices, & ſcortatores interdicuntur, vetaturque, ne lucrum ex probroſæ artis exercitio acquiſitum in Templum inferatur (*c*). Ex teſtimonio tum librorum ſacrorum, tum Joſephi; & Philonis, conſtat, meretrices maximo ſemper numero fuiſſe in Iſraele, minuſque ſancte hac in re Moyſi fuiſſe obtemperatum. Addit Philo, meretricium profitentes feminas lapidibus ex lege damnari (*d*); quæ tamen pœna apud Moyſem non invenitur. Plures ſane Interpretes non ſimplex meretricium, aut ſcortationem interdictam a Moyſe cenſent, ſed ea tantum crimina, quæ in cultum alicujus Gentium Numinis exercerentur; quam quidem abominationem eluvione quadam inundaſſe ſub illis Prin-

Impudicitia.

(*a*) Deut. xxi. 1.
(*b*) Exod. xxii. 19. Levit. xviii. 6. 22. &c.
(*c*) Deut. xxiii. 17.
(*d*) Philo de ſpecial. legib. præcept. 6. & 7.

Principibus Juda, & Iſraelis, qui legis Dei jugum excuſſerant, narrante Scriptura diſcimus (*a*). Sed eſto mera fornicatio apud Moyſem prohibita non ſit; ipſius tamen naturæ lege prohibitam eſſe, inter certiſſima computamus, contrariam quorumdam Rabbinorum, atque nonnullorum hæreticorum opinionem penitus rejicientes. Si quis feminæ vitium intuliſſet, illam ducere tenebatur; diſſentiente tamen puellæ patre, dos vitiatæ tantum perſolvenda. Imo & ad mulctam 50. ſiclorum patri puellæ perſolvendam, & ad nuptias procus adigebatur, ſi re ad Judices delata, vis ab illo aliqua illata fuiſſe probaretur; quod quidem conjugium per repudium ſolvi nequibat (*b*). Impudicitiæ monſtra his fortaſſe verbis per ænigma prohibentur: *Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus; non indueris veſtimento, quod ex lana, linoque contextum eſt; non ſeres vineam tuam altero ſemine; non arabis in bove ſimul, & aſino; non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte feminea* (*c*). Sunt tamen qui verba illa ad litteram accipiant.

Furtum. VIII. Furti crimen apud Hebræos minime capitale. Furem tamen nocturnum necare fas erat; quippe qui non tam rebus, quam vitæ inſidias moliri cenſeretur. Liberum hominem in mancipium vendere, mortis pœna expiabatur.

Bos

(*a*) 3. Reg. XIV. 24. XV. 12. XXII. 47. & 4. Reg. XXIII. 7.

(*b*) Exod. XXII. 16.

Deut. XXII. 28.

(*c*) Levit. XIX. 19. Deut. XXII. 5. 9. 10.

Bos ſublatus quintuplo reſtituendus; ovis quadruplo. Si tamen apud furem res furtiva extaret, dupli tantum pœna infligebatur (*a*). Si fur bona non habet, vendatur (*b*). Qui alieno agro damnum intulerit, de ſuo agro reſarciet. Depoſitum cuſtodis fraude ſublatum, duplo reſtituitur; ſi fraus abfuerit, cuſtos abſolvetur. Si cui pecus alterius creditum eſt, ejuſque incuria perierit, ipſius diſpendio peribit. Alia vero eſt ratio de commodato, & conducto; conductor enim, & commodatarius abſolvitur, ſi coram domino animal perierit; ſecus, ad reſtitutionem adigitur. Dolo, & fraude in commercio cavendis exacta menſura ac pondus adhibenda. Hinc matrix, & norma ceterorum omnium in Templo ſervabatur (*c*).

IX. Fenus a ſuis exigere Iſraelis vetitum; cum externis toleratum (*d*). Toleratum tantum, an etiam licitum? Qui poſterius hoc tenent, obſervant, populos ex quibus uſuras Iſraelitæ quærere potuiſſent, genus fuiſſe hominum anathemati devotum: quare, ajunt, ex Dei diſpoſitione bona illorum omnia in Hebræorum jus jam tranſierant. Pignus ſi creditor a debitore exegerit, extra fores domus illius opperiatur quidquid ab altero producetur; a molis tamen, quibus triticum teritur, & a viduæ veſtibus accipiendis, abſtineat. Veſtem, ſive culcitram ſi quis a fratre acce- *Fœnus.*

pe-

(*a*) Exod. XXI. 16. XXII. Deut. XXV. 13. Exod. XXX. 2. Deut. XXIV. 8. 13. 24 Vide.

(*b*) Exod. XXII. 4.

(*c*) Levit. XIX. 15. Deut. XXIII. 19.

(*d*) Levit. XXII. 26.

perit, ante noctis initium reſtituat, ut ille dormiens foveri poſſit (*a*). Mercenariis diurnis ante noctem pretium perſolvendum (*b*). Divites mutuum dare pauperibus recuſantes, quod ex illis nihil ſperent lucelli, damnantur (*c*); mutuam enim opem ſibi Iſraelitæ præſtare debent, ut nemo indigere, & mendicare cogatur. Alieni agri termini ne transferantur. (*d*). In colligendis meſſibus, & uvis, non ita ſeduli ſint operarii, ut ſpicas, & racemos indigentibus, qui pone illos conſequuntur, nullas relinquant; eademque de cauſa ſi forte manipulus in agro per oblivionem relictus fuerit, deinde non requiratur. In conviviis religioſis, pauperum, viduarum, orphanorum, advenarum, & Levitarum ratio potiſſimum habenda (*e*). Neque in fratres tantum, & amicos, ſed in adverſarios quoque benevolo eſſe animo Deus jubet, omnem ultionis exigendæ curam ſibi reſervans (*f*). Hinc ſi adverſarii jumentum ſub ſarcina fatiſcat, manus illi relevando apponenda; ſi pecus errabundum offendatur, ad caulas reducendum (*g*). Quæ tamen de Chananæis dicta non intelliguntur, ab Iſraelitis, ultionis divinæ miniſtris, prorſus

(*a*) Deut. XXIX. 6. 10. Exod. XXII. 6.

(*b*) Deut. XXIV. 14. Levit. XIX. 13.

(*c*) Deut. XV. 4. 8.

(*d*) Deut. XIX. 14.

(*e*) Exod. XXII. 21. XXIII. 9. Levit. XIX. 33. Deut. X. 18.

(*f*) Levit. XIX. 18. Deut. XXII. 55.

(*g*) Exod. XXIII. 4. Levit. XIX. 17. Deut. XXI. 1.

ſus extirpandis (*a*). Racemos, ſive ſpicas forte occurrentes colligere ad veſcendum fas eſt; ad aſportandum nefas (*b*).

X. Penes Iſraelitas mancipiorum duplex erat genus, ex Hebræis nempe, & alienigenis. Hebræi anno ſabbatico manumittebantur; ceteris æterna ſervitus (*c*). Una cum conjuge & filiis manumittendus, ſi captivitatem una cum illis ſubivit; ſi vero in captivitate conjugem ab hero accepit, ſolus ille manumittebatur. Si vir Iſraelita egeſtate cogente libertatem externo vendiderit, a propinquis redimendus; ſi vero illi tenues ſubſtantiæ ſint, quiſque Iſraelita redimere poſſit; vel ipſe tandem ſervus pretium pro ſe reſtituat. A quocunque tandem ſolvatur, integra pecunia hero danda, deductis tamen annis in ſervitute exactis, & ſupputato temporis ſpatio uſque ad annum ſabbaticum, quo in libertatem aſſerendus erat. Si mancipium ab hero dure habitum in ditionem Iſraeliticam confugerit, quamcumque tandem urbem elegerit, tuto ibidem agere permittatur (*d*). Filiam ſi quis a patre emerit, vel ipſe, vel filius ipſius in conjugem habebit; ſecus, eamdem anno ſabbatico libertati reſtituens, 30. ſiclis juxta Rabbinorum doctrinam dotabit. Hanc vero filiam ſemel emptam aliis vendere nefas; neque eidem filiæ ultra annum ſabbaticum ſervitutem prorogare permiſ- *Mancipia.*

(*a*) Exod. XXII. 32. XXXIV. 12. Num. XXX. 51. Deut. 7. 2.

(*b*) Deut. XXIII. 24.

(*c*) Exod. XXII. 1. 6. Levit. XXV. 39.

(*d*) Deut. XXIII. 15.

miſſum. Si emptor ſervam filio ſuo nuptam tradidiſſet, integrum illi erat eidem filio novam conjugem adjungere, rato ſemper & firmo prioris feminæ jure. Uxori ſemel emptæ vir domum, victum, veſtitum, & ſi quæ alia conjugem deceant, præſtabit: in quibus ſi plus nimio parcior fuerit, feminæ ſervitutem ſolvere, ne expectato quidem anno ſabbatico, licet.

Bruta humanitus habenda.

XI. Humanitatis ſenſus lex vel in ipſa bruta exigit. Hinc die ſabbati quies non hominibus tantum, ſed & jumentis indicta. Paſcua toto anno ſabbatico omnibus pervia, ipſis, ut videtur, etiam belluis agreſtibus (*a*). Plura etiam inducuntur de non coquendo hædo in lacte matris ſuæ, de non capiendis in nido pullis, ſive ovis una cum matre, de non mutilandis brutis, de non alligando ore bovis triturantis (*b*). Eoſdem humanitatis ſenſus reſpiciunt leges, quibus de ſurdo interdicitur oblocutio, neve coram cæco offendiculum ponatur (*c*).

Commercium cum exteris interdictum.

XII. Exteri, quibus circumciſionis nulla eſſet ratio, ab Iſraelitis impuri habiti ſunt, adeout rem inquinatam innuere volentes, *incircumciſam* dicerent. Chananæi, & Amalecitæ anathemati devoti (*d*). Eunuchi, nothi, atque proſtitutæ filii, ab Eccleſia Dei uſque ad decimam generationem, nempe a conſortio

(*a*) Levit. XXV. 7.

(*b*) Exod. XXIII. 20. XXXIV. 26. Deut. XIV. 21. XXII. 6. Deut. XXV. 14. Levit. XXI. 24.

(*c*) Levit. XIX. 14.

(*d*) Exod. XVII. 14.

tio privilegiorum Iſraelis excluſi ſunt; idem de Ammonitis, & Moabitis cautum eſt (*a*); cum quibus etiam populis fœdus, & amicitiam inire, vetitum. Idumæi, & Ægyptii, illi quod Eſau Jacobi germanum in patrem habuiſſent; hi quod Iſraelitas tandiu jure hoſpitii apud ſe habuiſſent, poſt tertiam generationem recipiebantur.

Seditio Core, Dathan, & Abiron. Aaronis virga floret. Mors Mariæ. Aquæ contradictionis. Rex Idumææ Iſraelitis tranſitum negat. Obitus Aaronis. Regnum Arad anathemati devotum.

C A P. IX.

I. QUo tempore & loco Core, ſociorumque ſeditio acciderit, ignoratur. Sunt qui componant cum ſtatione ad Sinai paulo poſt erectum Tabernaculum; alii ad Jetebata; ceteri ad Cades-Barne. Porro defectionis hujus duces ſe præbuerunt viri quidam Principes e Tribubus Levi, & Ruben (*b*). Core, non ſecus ac Moyſes & Aaron, vir erat e Tribu Levi, & ex eadem ſatus familia; utriuſque enim parentes Amran Aaronis, & Iſaar Core, gemini erant liberi ejuſdem Caath, filii Levi. Dathan, Abiron, & Hon nepotes erant ex filio Ruben, filii natu majoris Jacobi. Contendebat igitur Core, cum jus Sacerdotii privilegium eſſet Tribus Levi, ad ſe non *Core & ſociorum ſeditio.*

R mi-

(*a*) Deut. XXIII. 1. 6. (*b*) Num. XVI.

minus, quam ad Aaronem pertinere. Querebantur Dathan, Abiron, & Hon, Moyſem diſpoticum regimen politicum in ſe derivaſſe, quod jure vetuſtatis illorum Tribui debebatur. Quatuor iſti viri, alios 250. Synagogæ proceres in ſuas partes pertraxerunt. Hac multitudine ſtipatus Core convenit Moyſem, & Aaronem, expoſtulavitque inique illos arrogaſſe ſibi ſupremam, qua ſacram, qua civilem gentis ſuæ auctoritatem, ut nihil reliquis permitteretur. Moyſes vultu in terram demiſſo, nihil ſe injuſſu Dei molitum fuiſſe reſpondit: ſi cui tamen dolendum eſſet de rebus ita conſtitutis, id potius tolerandum fuiſſe in alia Tribu, quam in Levitica, quam Deus ampliſſimis dignitatibus diſtinxerat. Propoſuit tandem, ut mane alterius diei ſiſterent ſe præ foribus Tabernaculi cum ſuis thuribulis ſinguli, futurum ſpondens, ut Deus voluntatem ſuam de delectu miniſtrorum ſuorum palam demonſtraret. Simul autem miſit evocaturus ad locum Dathan, & Abiron, qui continuerant ſe ante fores Tentorii ſui, operientes exitum primi illius conatus. At illi renuerunt, reſpondentes: Tot malis, quibus nos ex beata feliciqueÆgypti terra eductos, ſubmiſiſti in deſerto, illud etiam extremum additurus es, ut oculos noſtros eruas, ne tyrannidem tuam videre poſſimus?

Seditioſorum interitus.

II. Mane alterius diei Core, & qui illum ſequebantur, ſtatim ad Tabernaculum ſuis inſtructi thuribulis venerunt, quo Moyſes & Aaron, thuribulum & ipſi tenentes, ſe pariter con-

conſtituerant. Continuo nubes deſcendit, conceptiſque verbis intonuit vox, imperans Moyſi & Aaroni, ut reciperent ſe e medio cœtus illius, quem Deus morti addixerat. Illis pro reliquo populo deprecantibus, vox iterum audita, ut populus e tabernaculis Core, Dathan, & Abiron (Hon unus e ſeditionis ducibus, conſilium forte mutaverat) ſegregaretur. His peractis, Moyſes populum alloquens: Si, inquit, hi communi morte intereant, me a Domino miſſum ne credatis; ſin vero eos vivos terra deglutiat, eos blaſphemos eſſe pronunciate. Vix hæc ille; tunc terra ſubito dehiſcens Core, Dathan, & Abiron vivos cum Tabernaculis boniſque ſuis omnibus abſorbuit; miſſuſque ſimul a Deo ignis 250. ſocios ſceleris, qui ante Tabernaculum conſtiterant, corripuit, atque in cinerem favillaſque redegit. Mirandum autem fuit, quod pereunte Core, filii ejus non perierint. Hi patrem, qui ſeſe receperat in tentorium ſuum, deſerere noluerant; non quidem, ut defectioni patris faverent, Moyſiſque præcepta negligerent, ſed ut precibus ſuis impetrarent, ne in ſua pervicacia perſiſteret. Abſorbente autem terra patrem, Deus filios ejus intactos, atque in aere ſuſpenſos præſervavit (*a*). Juſſit deinde Deus Eleazaro, Aaronis filio, ut de medio incendio ſeditioſorum omnium thuribula colligeret, atque in laminas redacta, & Altari holocauſtorum affixa, ſibi conſecraret, ut perpetuum ſtaret monumentum, qua Numinis juſte ulciſcen-

R 2

(*a*) Num. XVI. 10. Lyran. Rabbin.

ſcentis, qua Sacerdotii familiæ Aaronicæ aſſerti. Sed unde tot thuribula in deſerto viris, quorum ab offerendo thure Deo aliena erat profeſſio? Reponitur, conjuratos illos ſibi antea thuribula paraſſe, eo conſilio, ut ex improviſo ſimul omnes jura Sacerdotii invaderent. Merito etiam ſuſpicamur, detuliſſe illa ex Ægypto, mutuo ab Ægyptiis accepta; nihil enim erant aliud, quam lancis, vel pateræ genus quoddam variis uſibus aptum (*a*).

Aarone thus offerente ignis extinguitur.

III. Altera die exortum novum in Moyſem, & Aaronem murmur, quaſi illi interitus tot virorum cauſa fuiſſent; quo invaleſcente, novus ignis in caſtra repente injectus, ultimum excidium minitabatur, niſi Moyſes, miſſo ſtatim inter mortuos, vivoſque medio Aarone, prompte occurriſſet. Eo enim orante, atque thus offerente, ignis extinctus eſt, poſtquam 14700. viros devoraſſet (*b*).

Virga Aaronis floret.

IV. Sacerdotium Aaroni etiam atque etiam confirmaturus, aliud rurſus Deus oſtendit prodigium. Acceptis enim Moyſes duodecim virgis a duodecim Tribuum Principibus, inſcriptoque unicuique unius ex Tribubus, ſive ex eiſdem Principibus nomine, ſumpta etiam Aaronis virga, illius pariter nomine inſcripta, omnes in Tabernaculo fœderis coram Arca repoſuit. Sequenti vero die inventa eſt Aaronis virga, quæ amygdalina erat, folia, flores, gemmas, & fructus emiſiſſe, ceteris nihil immutatis (*c*). Hæc virga recondita eſt in Arca,

(*a*) Vide ſupra l. 3. c. 8. n. 17.

(*b*) Num. XVI. 41.

(*c*) Num. XVII.

ca, ut prodigii memoria extaret. Opinatur Toſtatus, cui forte præivit S. Ambroſius (*a*), virgam illam tandiu retinuiſſe gloriam ſuæ viriditatis, quandiu in Arca fuit. Porro Iſraelitæ territi prodigiis, quibus in ipſos animadverterat Deus, Moyſem adierunt, ſignificantes, removeri ſe a Tabernaculo metu, ne ſe diſcrimini exponerent, quærenteſque, qua tandem ratione Dei furorem compeſcerent. Quibus Moyſes, a Deo edoctus, reſpondit: Soli ad Altare accedant Sacerdotes Aaronici: Levitæ, iis, quæ curæ illorum commiſſa ſunt, incumbant, nihil præterea ſibi uſurpantes: Nemo alius ſacra contingere audeat: Laicis curæ erit tantum ſufficere neceſſaria ſacris Miniſtris: Hi autem viciſſim muneri ſuo præſtando ea, quam præſcripſi, lege ſe totos addicant (*b*).

ANNUS MUNDI 2552. ante Chriſtum 1448. *Obitus Mariæ, Moyſis & Aaronis ſororis.*

V. Quo tempore Iſraelitæ ex Aſion-gaber regreſſi moram in Cades trahebant, Maria Moyſis, & Aaronis ſoror diem clauſit. Defunctæ a populo parentatum eſt, eodemque in loco tumulus erectus, qui ætate Euſebii juxta Urbem Petram monſtrabatur (*c*). Creditur egiſſe 130. annorum ætatem. Utique decennio ſaltem ſenior Moyſe reputanda eſt, quippe quæ illo Nili aquis expoſito ita ſe geſſit, ut adultam puellam decebat. Figura habetur Virginis Deiparæ, cui & nomine ipſo prælusit; Deus enim illam elegit, ut in opere libertatis Iſaelitis reſtitutæ partes haberet potiſ-

(*a*) S. Ambr. Ep. 63. XVIII. 1. nov. edit. num. 58.

(*b*) Num. XVII. 12.

(*c*) Num. XX. 1. Euſeb. de locis.

potiſſimas, quæſita Moyſi in nutricem ipſa matre ſua, annuente filia Pharaonis, quæ puerum ex aquis ſubduxerat. Id autem exprimit Mariam Jeſu Chriſti Matrem, quæ genuit, nutrivitque Mundi Salvatorem, eumque pariter a perquirente ad necem illum Herode ſubduxit, cujus perſecutoris typum Pharao referebat.

Aquæ contradictionis. VI. In Cades Hebræi aquarum penuria laborarunt (*a*), quod nonnullis argumento eſt, Iſraelitas non poſuiſſe tentoria eodem prorſus loco, quem antequam in Aſiongaber proficiſcerentur, occupaverant, cum in eo neceſſaria omnia ſuppeterent. Si quis tamen cum Rabbinis putaret, aquam in gratiam Mariæ e petra Horebi eductam fuiſſe, eamdemque evanuiſſe, quod femina illa mortua eſſet (*b*), argumentum illud penitus corrueret. Solitum in Moyſem, & Aaronem murmur excitatum eſt; ad quod ſedandum, & aquam potando populo obtinendam, fratres in preces coram Domino effuſi ſunt. Juſſit Dominus, ut Moyſes aſſumpta virga, quæ erat in Tabernaculo, accederet una cum Aarone ad quandam petram, quæ ad vocem illorum, & imperium aquas ſtatim emitteret. Multis ſedit perſuaſio, virgam illam non fuiſſe Moſaicam, ſed Aaronicam, quæ floruit, quæque in Tabernaculo ſervabatur. Cum igitur virgam illam ſumpſiſſet Moyſes, & populum ad indicatam petram adduxiſſet: *Audite* inquit, *rebelles*, *& increduli*.

(*a*) Num. xx. 2.

(*b*) Vide hanc hiſtor. loc. cit.

duli. Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere? Statimque bis percuſſa petra, aquas emiſit largiſſimas. At Dominus, Moyſis & Aaronis incredulitati indignatus, futurum dixit, ut uterque moreretur, antequam terram promiſſionis ingrederentur. Loco nomen manſit *Aquæ Meriba*, ſive *Contradictionis*, querelarum ſcilicet, diſſidii, murmuris Hebræorum in Moyſem, & Aaron, quin & in ipſum Deum.

VII. Sed quodnam fuit Moyſis, & Aaronis crimen? Incertus de eventu, & nutans fide Moyſes ſilicem percuſſit; non quidem de Dei poteſtate minus recte ſentiens, ſed ambigens, utrum in iis rerum circumſtantiis, murmuris ſcilicet Iſraelitarum, Deus largitatis ſuæ, & potentiæ argumenta eſſet exhibiturus; qua quidem agendi ratione invidiam aliquam in Deum, aquas e ſilice promittentem, conflabat. Hoc Moyſis & Aaronis illi per omnia conſentientis crimen. Bis percuſſit petram, ajunt alii, quaſi reputaret, non ſatis eſſe ſemel tetigiſſe. Imperaverat Deus, dicunt nonnulli, ut fratres ſolum loquerentur ad petram, ſtatim reſponſuram, datis larga vena aquis. Illi parcunt verbis; quorum loco Moyſes virgæ ictibus utitur. Cenſent quidam, Moyſem ita tunc ſe geſſiſſe, ac ſi opus ſuum id eſſet, non Dei: *Num de petra hac poterimus ejicere?* Non deſunt tandem qui velint, in eo Moyſem deliquiſſe, quod cum populi animus ad Deum convertendus eſſet, ea mentis commotione, verborumque aſperitate illum al-

Moyſis & Aaronis crimen.

locutus ſit, quæ excitandæ potius ſeditioni, quam ſedandæ apta foret: *Audite rebelles, & increduli*. An autem peccatum illud mortale fuerit, vel veniale, non poteſt certo definiri.

Rex Idumææ tranſitum Iſraelitis negat.

VIII. Sub hæc, Moyſes Regem Idumææ per nuncios rogavit, ut liberum per regionem ſuam tranſitum in Chanaanitidem Iſraelitis permitteret, fidem ſuam oppignorans, populum recta tranſiturum, nihil exacturum, nihil uſurpaturum, & ſi quid illi opus eſſet, juſto, quin & abundanti pretio empturum (*a*). At Rex nedum inofficioſe negavit, ſed coacto ſtatim valido exercitu obviam Hebræis proceſſit. Potuiſſent quidem illi vi tranſitum tentare; ſed Deus juſſit Moyſi, ut parceret ab armis in populos illos filios Eſau inferendis: quod quidem alia occaſione præcepit & de Moabitis, atque Ammonitis, quod genus ſuum ex Loth, Abrahami nepote, referrent. Motis igitur caſtris e Cades iter flexerunt Hebræi ad meridiem, ut circumirent regionem Idumæorum, ſedes habentium ad extremam oram maris mortui; qui Hebræorum continentiam videntes, ut fines ſuos raderent permiſerunt; quin & conceſſerunt, ut ſibi res neceſſarias ſoluta pecunia compararent (*b*).

Aaronis mors.

IX. Proceſſerant Iſraelitæ uſque ad montem Hor, cum Deus Moyſi ſignificavit, adveniſſe jam tempus, quo Aaron in pœnam admiſſæ incredulitatis diem extremam clauderet

ret

(*a*) Num. xx. 14. Num. xx. 20.
(*b*) Deut. II. 2. 9. 29.

ret (*a*). Aſcendit igtur Aaron montem illum, omni populo ſpectante; cumque pontificalia ornamenta coram Moyſe exuiſſet, atque filium ſuum Eleazarum induiſſet, aſſeruiſſetque illi ea cæremonia ſupremam Sacerdotii dignitatem, animam efflavit die prima menſis quinti annos natus 123. ibique ſepultus eſt, & a populo triginta diebus defletus.

Aaron in Mercurio expreſſus.

X. Decora Aaronis in Mercurium Poetæ tranſtuliſſe videntur. Mercurius furum Deus erat; Aaron ſuſtulit Ægyptiorum divitias. Mercurius nuncius eſt, & interpres deorum; Aaron Propheta, & os Moyſis, ac Domini interpres. Mercurius virgam tenet; virgam Aaronis floruiſſe ſcimus. Mercurio inventæ lyræ honor tribuitur; Sacerdotes, filii Aaronis, & Levitæ canendi inſtrumentis munus peculiare habebant. Mercurius Deus eſt itinerantium cuſtos; Aarone, & Moyſe ducibus iter habuerunt Hebræi per deſertum.

Rex Arad primo victor, dein de victus.

XI. Mortuo Aarone tentaverunt Iſraelitæ ingreſſum in Chanaanitidem per eamdem viam, quam olim tenuerant Exploratores, a Moyſe in illam regionem miſſi (*b*); quod cum intellexiſſet Rex Arad Chananæus armatus illis occurrit, commiſſoque prælio, proſpero primum ſucceſſu certavit; deinde vero totam ejus regionem Hebræis in anathema, ſive in exterminium, & quaſi in holocauſtum Domino devoventibus, iterum collatis ſignis, devictus eſt. Quare Hebræi obvios quoſcumque trucidarunt, lateque omnia, quo perrexere, tra-

(*a*) Num. xx. 23. (*b*) Num. XIII. 3. XXI. 1.

tradiderunt incendio. Hujus tamen voti fides penitus ſoluta non videtur, niſi poſt ingreſſum Joſue in Chanaanitidem, fatis jam functo Moyſe; tunc enim exciſo Rege Arad, ejus metropolis ſubverſa eſt, quam deinde poſteri Hobab, fratris Sephoræ uxoris Moyſis, reſtituere (*a*). Porro urbs illa ſeu regio appellata eſt *Horma*, vel potius *Chorma*, ideſt *Anathema*.

Serpens æneus. Variæ Caſtrametationes. Liber Bellorum Domini. Novus puteus. Sehon & Og Reges devicti.

CAP. X.

ANNUS MUNDI 2552. ante Chriſtum 1448. *Serpens æneus.*

I. E Monte Hor Selmonam veniunt, ubi partæ victoriæ lætitiam luctus excepit. Itineris tædio correptus populus atque in mannam male affectus, ſolitas querelas in Deum, & Moyſem movere cœperunt (*b*). Quamobrem Deus ignitos ſerpentes illis veneno inficiendis immiſit. Hebræus legit, *Serpentes Seraphim*, ſive *Serpentes ardentes*, quod vulgo interpretatur de *Præſtere*, ſerpentis genere, cujus morſibus flamma quædam in vultu, totoque corpore ingens tumor inducitur. Vocem originalem hydrum, vel cherſydrum, reddit Bochartus. Sunt autem hydri quandiu vivunt in aqua; cum vero extra aquam in locis paluſtribus areſcentibus degunt, cherſydri appellan-

(*a*) Num. XXI. 3. Joſue XII. 14.

(*b*) Num. XXI. 4. XXXIII. 43.

lantur. Porro Seraph alatum fuiſſe animal, Iſaias luculentiſſime tradit (*a*). Docet Herodotus, ſe cum in Ægypto eſſet, audiviſſe in eam regionem vere ineunte irrumpere e vicina Arabia angues, hydris perſimiles, ſed alis inſtructos, non plumeis, ut aves, ſed membranaceis, ut veſpertiliones (*b*). En facile angues, qui Iſraelitarum caſtra invaſere. Seraph a Vulgatæ auctore reditur *Ignitus*, vel quod colore ſit aduſto, vel quod morſu calorem excitet. Iſraelitæ morte inter illos ſæviente confugerunt ad Moyſem; cui pro illis oranti, edixit Deus, conflaret ſerpentem æneum, quem impoſitum lanceæ, ſive haſtæ militaris vexilli erigeret. Quicumque autem veneno correpti hoc ſimulacrum reſpicerent, ſanitati reſtituebantur. Anguem illum typum fuiſſe Salvatoris Crucifixi, ipſemet teſtatur (*c*). Porro illum Iſraelitæ aduſque Ezechiæ tempora ſervarunt. Sed cum ſuperſtitioſe populus ad cultum quemdam illi exhibendum fuiſſet adductus, pius ille Rex eum confregit (*d*).

Marshami de Serpente æneo opinio.

II. Eques Marshamus in eam nos perducere conatur perſuaſionem, ſerpentem æneum, a Moyſe elatum, ejuſdem fuiſſe indolis, ac Taliſmannos in certos quoſdam morbos præſentiſſima remedia, inde virtutem referentes ſuam, quod fœdus concilietur quoddam inter metalla, quibus coaleſcunt, vel influxus aſtrorum, ſub quorum aſpectu conflati ſunt, & ejus generis morbos. Nos virtutem Taliſmannicam ma-

(*a*) Iſai. XIV. 29. XXX. 6.
(*b*) Herod. l. 2. c. 76.
(*c*) Joan. III. 14.
(*d*) 4. Reg. XVIII. 4.

magicarum imaginum, ſicut & vim omnem carminum, & excantationum, quanta quanta eſt, ad dæmones, & verſutiam impoſtorum referendam ducimus. Ad ſerpentem autem Moſaycum quod attinet, Deus per ſe ſimulacro vim naturæ illius ſuperiorem, & plane divinam indidit, ut luculentiſſime Sapientiæ auctor animadvertit: *Qui enim converſus eſt, non per hoc quod videbat, ſanabatur, ſed per te omnium Salvatorem* (a). Quibus ſingularis Marshami opinio ſatis manet exploſa. Quæ autem nos in Selmona acta diximus, alii in ſtatione ad Phunon contigiſſe credunt.

Variæ Caſtrametationes. III. Phunon, alio nomine Phenon, Phinon, Fana, Metallo-phenon, locus eſt in Idumæa celebris, ſitus inter urbes Petram, & Zegor, ſive Zoaram, quo ad fodinas damnatos fuiſſe Martyres quoſdam, memoriæ proditum eſt. Facile autem nomen Phunon inditum loco eſt ex Phinon uno ex Principibus Idumæis, ex Geneſi noto (b). Ex Phunon ventum eſt in Oboth (c). Oboda apud Stephanum eſt Nabathæorum ſtatio. Urbis Ebobæ meminit etiam Plinius, quam Helmodæis in Arabia tribuit (d). Reliquentes Oboth fixere tentoria ad Je-Abarim, ad anguſtias ſcilicet, vel cumulos montium Abarim. Euſebio, & S. Hieronymo eſt urbs Jee prope urbem Petram; aliis eſt Hai, quam Jeremias conſtituere videtur in Regione Moabitarum (a).

(a) Sap. XVI. 7.
(b) Gen. XXXVI. 41.
(c) Num. XXI. 10.
(d) Plin. l. 6. c. 28.

(*a*). Ex Je-Abarim profecti ſunt ad torrentem Zared, qui in mare Mortuum devolvitur. Torrentem hunc tranſvadarunt Iſraelitæ 38. annis poſt murmur in Cades-Barne (*b*). Hic conſtitutis Iſraelitis juſſit Deus ab Ammonitis, & Moabitis abſtinere manus (*c*). Ulterius progredientibus contigit caſtrametari juxta Arnon, qui inter Amorrhæorum, & Moabitarum regiones medius fluit. Fragmentum Libri bellorum Domini inſinuare videtur eadem prodigia, quæ in transfretatione Erythræi contigerunt, innovata fuiſſe Iſraelitis in vado Arnon, eumque hiſcentibus aquis complanatiſque ſcopulis tranſitum ilis dediſſe. *Unde dicitur in Libro Bellorum Domini: Sicut fecit in Mari rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati ſunt, ut requieſcerent in Ar, & recumberent in finibus Moabitarum.* Quædam ſane & in aliis divinæ Scripturæ Libris legimus quæ explicationem illam confirmant (*d*).

IV. Porro Libro Bellorum Domini nil latentius obſcuriuſque. Nomine hujus libri, putant Rabbini, venire Librum Numerorum, vel Joſue, aut Judicum. Cajetanus deſignatos intelligit Pſalmos centeſimum trigeſimumquintum, & centeſimum trigeſimum ſextum. Alii additionem quamdam agnoſcunt ab iis factam, qui libros Moyſis recenſuerunt, ſuſpican-

Quid ſentiendum de Libro Bellorum Domini.

(*a*) Jerem. XLIX. 3. num.
(*b*) Deut. II. 14.
(*c*) Deut. II. 9. Num. XXI. 11. juxta Samarita-
(*d*) Num. XXI. 14. Pſ. LXXIII. 15. Habac. III. 13.

eanturque, bella, quæ Iſraelitæ geſſerunt ſub Moyſe, Joſue & Judicibus in quemdam commentarium relata fuiſſe, ex quo deducta ſit narratiuncula, quam verſamus. Rari ſunt, qui librum Pentatheuco vetuſtiorem agnoſcant, ab ipſo Moyſe, vel ab alio quocumque ſcriptum, ad quem Lector remittatur, quod in eo res fuſius, accuratiuſque narrentur. Divinæ auctoritatis fuiſſe illum librum non credimus; textui tamen ex eo laudato ejuſmodi auctoritas conciliata eſt.

Puteus novus. V. Moventes e torrente Arnon venerunt in locum, ubi Deo indicante puteum nacti ſunt; quem incolæ aggeſta arena forte occuluerant: Populi Principes baculis ſuis eruta arena detexerunt; ipſe vero populus in canticum effuſus, aquas invitabat, ut aſcendentes totum replerent puteum. Poſt hæc caſtrametati ſunt Iſraelitæ in Matthana, in Nahaliel in Dibongad, in Elmondeblataim, & in Bamoth, cui imminet mons Phaſga, nec multum diſtat urbs Cademoth (*a*).

ANNUS MUNDI 2553. ante Chriſtum 1447. *Sehon Rex devictus.* VI. Traducturus Moyſes Iſraelitas per regionem Sehon, qui in Heſebon Amorrhæis transjordanicis jura dabat, miſſi Ablegatis ſuis, ut iter ſibi daretur, poſtulavit, fidem ſuam obligans per regiam viam proceſſuros Iſraelitas, nulliuſque juri vim illaturos; quin nec permiſſuros ſibi ad potum aquam niſi pretio coemptam. Ingeſſit exemplum Idumæorum in Seir, & Moabitarum in Ar, quorum fines radentes, nulla eos affecerant injuria. Poſtula-

ta

(*a*) Num. XXI. 18. XXXIII. 45. Deut. II. 24.

ta non recuſavit tantum Sehon, ſed & copias coegit, ac promovit uſque ad Jaſa, præliumque inſtituit cum Iſraelitis, quorum potior fuit cauſa. Cæſi, diſſipatique ſunt hoſtes, & ditio illorum univerſa a torrente Arnon uſque ad torrentem Jabok ceſſit victoribus: qui totum illum tractum diſcurrentes, omnia cæde vaſtarunt, conſtitueruntque ſe in regione hoſtili, quam Dominus iratus in Sehon, illis tradidit poſſidendam (*a*). Porro Sehon non modicam Regni ſui partem Moabitis abſtulerat, quam quidem victoriam quodam triumphi cantico Amorrhæi Moabitis exprobrare ſolebant. Hinc factum ut Moabitæ ſub Jephte debitam ſibi jure Regionem ab Iſraelitis expeterint. Vetera tamen jura exigentibus novum Jephte oppoſuit, donationem ſcilicet a Deo factam, devictamque juſto bello a Moyſe regionem, quæ ceteroqui tempore quo domita fuit, non erat juris Moabitarum, ſed Amorrhæorum (*b*). Urbs Jazer ſita ad fontes amnis ejuſdem nominis, quæ Euſebio teſte XVM. paſſuum ab Heſebon diſtat, per id temporis parebat & ipſa Amorrhæis. Hanc quoque cum omnibus terris, quæ ad illam ſpectabant, Iſraelitæ a Moyſe miſſi ceperunt.

VII. Victo Sehon, Moyſes in Regionem Baſan venit; cujus Rex Og contra ipſum egreſſus uſque Edrai pervenit, ibique cum Iſraelitis congreſſus, una cum liberis ſuis & populis in- *Og deletus.*

(*a*) Num. XXI. 2. Deut. II. 26.

(*b*) Judic. XI. 13. XIII. 25.

interfectus eſt (*a*). Quare Moyſes ejus imperio, eodem jure, quo Regno Sehon, potitus eſt. Regio Baſan e fertiliſſimis totius Terræ promiſſæ habebatur, cui ſucceſſu temporis nomen conciliatum eſt Bathanæa. Definiebatur ab Oriente & Septentrione montibus Calaaditidis; ab Occidente Jordane, a Meridie torrente Jaboch. Porro Og gigas fuit ex progenie Rephaim, cujus quanta fuerit proceritas, ab ejus lecti amplitudine colligi poteſt, qui apud Ammonitas in Rabbath, eorum metropoli, diu manſit. Novem cubitis longitudinem, quatuor vero latitudinem protendebat: hinc ſtatura Og, facile 14. vel 15. pedes æquabat; quæ quidem menſura immanis eſt; hominum enim noſtræ ætatis maxime proceri ſex pedes vix aſſurgunt. Rabbini affirmant, lectum hunc Og, novem cubitis immanem infantis illius tantum cunas fuiſſe; Og autem cum adoleviſſet 120. cubitorum attigiſſe menſuram. Addunt, Og unum fuiſſe ex gigantibus, qui vixerant ante diluvium, eumque in tectum Arcæ Noeticæ conſcendiſſe, ut ab univerſalibus undis ſe vindicaret; Noe vero aliquid in cibum ei dediſſe, ut Dei potentia in talibus delendis monſtris poſteri mirarentur. Fabulæ.

(*a*) Num. XXI. 33. Deut. III. 1.

Balac Moabitarum Rex rogat Balaamum, ut Iſraelitas diris devoveat. Arioli illius prophetia, & peſſimum conſilium. Iſraelitarum fornicatio. Sacra Beel-phegor.

CAP. XI.

I. TRajecto Arnon, relataque de Sehon, & Og victoria, Iſraelitæ caſtra habuerunt in capeſtribus Moab, hoc eſt in vaſtis illis agris Jordani adjacentibus, qui e regione Jerichuntis ſunt conſtituti, conſilio trajiciendi Jordanem, ac ſubeundi Chanaanitidem. Balac Moabitarum Rex, viſa multitudine Hebræorum, veritus, ne in ſuas regiones impetum facerent, nec illis obſiſtendo parem ſe noſcens, ſeſe Madianitis vicinis ſuis junxit. Fœderatæ illæ gentes, cum adhuc impares ſeſe intelligerent, ut ſuperarent Iſraelitas, ad artes ignotiores confugiendum cenſuere, ſtatueruntque per accitum clari nominis Ariolum diris Hebræos devovere (*a*). Perſuaſum erat illis, quod & pluribus aliis populis, dira ſcilicet, & fauſta, maledicta, & pias imprecationes, devotioneſque hominum, quos afflatos ſuperiori aliquo ſpiritu probo, vel malo rebantur, plurimum valere, ut ii, in quos pronunciabantur, a diis tutelaribus bene fortunarentur, vel illorum præſidio deſtituti, malis geniis vexandi traderentur (*b*). Cum igi-

Balac invitat Balaamum, ut Hebræis maledicat.

S

(*a*) Num. xxii. xxiii. xxiv.

(*b*) Plin. l. 3. c. 6. & l. 28. c. 2. Solin. c. 2. Plutar. probl. 6. Macrob. Satur. l. 3. c. 9.

igitur Legati Balac ferentes divinationis pretium ad Balaamum veniſſent, ipſique Regis mandata expoſuiſſent, ille apud ſe eos pernoctare juſſit, reſponſum ex Domino a ſe eadem nocte quærendum, in craſtinum redditurus. Deus autem interrogatus a Balaamo, ne cum ipſis pergeret, prohibuit: quo reſponſo Legatis reddito, eos mane alterius diei Balaamus dimiſit. Ut Prophetam abnuiſſe Rex intellexit, nequaquam animis cadens, nobiliores prioribus viros, majoribus donis inſtructos, iterum ad Ariolum legavit. Qui ut nuntios vidit, Dei reſponſa invertere, quibuſvis muneribus illectum ſe non poſſe, teſtatus, Legatos rogavit, ut eam quoque noctem apud ſe ducerent, dum Dei placita perſcrutaretur. Dominus itaque eadem nocte Balaamo apparens, ipſum, monitum tamen, ut quæ ei injungerentur, exequeretur, cum Legatis abire permiſit. Verane ille retulerit, an hæc confixerit, latet omnino.

Balaamus dum pergit ad Balac, ab aſina increpatur.

II. Strata igitur aſina cum iis proficiſcebatur; cumque impium illius animum Dominus noſſet, Angelum qui evaginato gladio viam illi intercluderet, miſit; quem videns aſina, per arva metu acta vagari cœpit. Hæc vero a Balaamo verberibus ad ſemitam reducta, Angelo iterum viſo, maceriæ cuidam adeo adhæſit, ut ſeſſoris pedem contriverit. Ille ira majori æſtuans, crudelius ipſam verberabat, donec in anguſtiſſimum locum, ubi nullus utrinque aditus patebat, delatus, aſinam pergere abnuentem, humique jacentem vehemen-

mentius cædens, impietatis, quod mite adeo animal percuteret, ab ipſa aſina, divina vi humanas voces proferente redargutus eſt. Tunc Angelum vidit Balaamus, humique ſtratus, ac prono in terram ore, veneratus eſt. Quem cum Angelus & crudelitatis in aſinam, & perfidiæ in Deum increpaſſet, ipſumque a ſe occidendum fuiſſe dixiſſet, ni aſina declinaſſet; ille facti pœnitens, ſe a cœpto itinere receſſurum dixit, ſi Angelus imperaſſet: qui tamen illum ad iter proſequendum confirmavit, modo, ea tantum quæ a Domino intelligeret, loqueretur. Progredienti igitur Balaamo Balac obviam factus, cur ſtatim accerſitum abnuerit, interrogavit. Cui ille: En adſum: ceterum quæ a Domino edoctus fuero, me locuturum ſcito. Tum Balac Ariolum ad metropolim Moabitarum *Ar*, ſeu *Kir-hareſeth* ductum, mactatis bobus, atque ovibus donavit. Craſtina vero die ad excelſa Baal, unde extrema Iſraelis pars proſpiciebatur, adduxit.

Balaamus fauſta Iſraelitis precatur.

III. Tunc Baal ſeptem conſtrui aras, vitulumque & arietem cuique ſuperimponi jubens, aliquantiſper ſeceſſit, ut a Domino dicenda edoceretur. Cui Dominus ſtatim quæ loqueretur, dictavit. Regreſſus igitur Balaam, ſtanteſque prope paratum holocauſtum Balac, & Principes Moabitarum intuitus: Ex Aram, ait, me accerſiit Balac, ut Iſraelem devoverem. Qui devoveam, quem Dominus non devovet? Qui deteſter, quem Dominus non deteſtatur? Fruſtra Balac conſtituit me in eminenti hoc loco, ut caſtra Iſraelitarum proſpiciam. No-

lentibus, volentibus vobis, gens iſta quieta permanebit aliis populis impermixta, & invicta. Florentem Jacobi poſteritatem quis numerando æquabit? Utinam mors mea mortem illorum imitetur. His auditis Balac, Quid, inquit, agis? ut hoſtibus malediceres, te vocavi; tu vero benedicis. Cui Balaam, ſe Domini mandata eloqui cum reſpondiſſet, ille ad montem Pharga deduxit Ariolum, unde totum Iſraelem non videns, facilius illum deteſtaretur. In montis igitur vertice, aris & hoſtiis, uti prius, paratis, Ariolus ad Dominum inquirendum ſecedens, ab ipſo, quæ loqueretur, iterum edoctus eſt. Reverſus itaque Balaam, Regique de auditis interroganti: Sta, inquit, Balac, & audi: non ut homo, mentitur, nec mutat ſententiam Dominus. Quæ ſemel pronunciavit, exequetur. Ad maledicendum vocatus, benedictionem prohibere non valeo. Cum Hebræos puros ſe contineant ab Idololatria, nil ex ultore Numine illis timendum eſt, quin velut leæna conſurget, & quaſi leo erigetur; nec niſi vorata præda, hauſtoque ſanguine, accubabit.

Balaamus multiplicat benedictiones in Iſraelem.

IV. Tunc Balac, nec maledicas, inquit, nec benedicas. Cui Balaam: An non prædixi, quidquid mihi Deus imperaſſet, facturum? Balac vero adhuc tentaturus, an Deo placeret, ut Iſraeli Balaam malediceret, illum ſuper verticem montis Phegor duxit; ubi ſolito ſacrificio celebrato, nihilque de divina voluntate hæſitans non receſſit Balaam ut illum conſuleret, quod antea fecerat; ſed ſtatim

Iſrae-

Iſraelitarum caſtra proſpiciens, bona quæ illos manebant, denuo aperuit, clare inter alia prædicens futurum, ut Saul Regno privetur, quod præpoſtera pietate Agag Amalecitarum Regis eſſet miſeraturus: *Tolletur propter Agag Rex ejus*. Samaritanus tamen, & Septuaginta legunt: *Extolletur præ Gog regnum ejus*, ſcilicet Iſraelis: quod læta vaticinanti apprime congruit. Gog autem & Magog nomine florentiſſimæ Scitarum, aliarumque ſeptentrionalium gentes facile ſignificantur. Niſi mavis dicere, inſtitui comparationem inter Iſraelitarum Rempublicam ad altiora ſemper tendentem, & Regnum Baſan ſub Og deletum.

Celebre Balaami de Meſſia Oraculum.

V. Iratus Balac, Quid, ait, inimicis meis jam tertio bene precaris? Abi ergo: honores, quos tibi decreveram, tibi abſtulit Dominus. Cui Balaam; Nonne nuntiis dixi, nullis muneribus, nec ipſa domo tua, argento, auroque referta, fieri poſſe, ut quæ mihi Dominus dictaſſet, non dicerem? Quid tamen tibi, populoque tuo in Iſraelitas agendum ſit, edocebo. Volebat tum Ariolus peſſimum ſuum conſilium Regi privato ſpiritu dictare; verum ſtatim divino æſtro abreptus, diverſa plane omnia revelavit, adventum ſcilicet Meſſiæ, ipſiuſque in duces Moab, filioſque Seth præpotentiam, & in Idumæam & Seir dominatum. *Orietur Stella ex Jacob &c.* Hinc ad Amalec verſus, ipſum, antiquiſſimum licet gentium, deſtruendum aſſeruit. Tum Cinæorum regionem intuitus, robuſtum quidem illis domicilium; & quamvis in vivo lapide ſitum,

igni devotum, ipſoſque Cinæos captivos ab Aſſyriis ducendos eſſe pronuntiavit. Exclamans tandem, ait: Heu! quis victurus eſt, quando iſta faciet Deus? Venient de Italia (Cittim aliis eſt Macedonia, e qua Alexander) & ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntque Hebræos: ipſique tandem etiam peribunt.

Peſſimum Balaami conſilium. VI. His expletis, ad ſuum conſilium venit Balaam; perſuaſus enim ille futurum ut inexpugnabiles eſſent armis Hebræi, quandiu legibus ſuis paruiſſent, & avitam Religionem tenuiſſent, auctor fuit Moabitis, & Madianitis, ut miſſis puellis ſuis ad Hebræos, in crimen illos pellicerent. Monuit inſuper, ut cum puellæ implicitos amore ſuo tenerent Hebræos, non prius tamen illorum votis conſentirent, quam illi ſacrificiis Beelphegor antea oblatis inceſtum ſibi veluti emiſſent. Poſt hæc Balaam reverſus eſt in patriam ſuam, vel potius ſuſcepto jam itinere prohibitus fuit a Madianitis, ne ulterius proſequeretur: ſiquidem una cum illis Hebræorum armis paulo poſt trucidatus eſt.

Variæ de Balaam opiniones. VII. De Balaamo autem, ejuſque prophetia nonnulla quæruntur. Verus ne Domini Propheta fuerit diſceptatur. Origenes, Theodoretus, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Ambroſius, & plerique Interpretes ad Magos, Ariolos, Idololatras illum rejiciunt. Profecto in Scriptura *Ariolus* appellatur; quod in ſiniſtram partem ſemper accipitur, de illis ſcilicet, qui magicis artibus, dæmonumque ope proficiunt. Ad hæc, Balaam aſcendit loca

ex-

excelſa Numinibus conſecrata; aſcendit autem ſacra operaturus. Suadet etiam, ut Madianitæ, & Moabitæ inducant Hebræos in falſam Beelphegor religionem. Imprudens ergo, & contra propriam voluntatem, oracula fudit: eoque uſus eſt Deus veluti cymbalo tinniente, experte gratiæ eorum omnium, quæ pronuntiabat. His licet ita ſeſe habentibus, non deſunt, qui Balaam verum Dei Prophetam autument, quamquam vita, & moribus corruptiſſimum. Moyſes aperte ait, eum conſuluiſſe Deum Jehovah, eumdemque Deum ſuum appellaſſe: *Non potero immutare verbum Domini mei*. Traditio Hebræorum S. Hieronymi ætate ferebat, Balaam eumdem fuiſſe ac Eliu, unum ex Jobi amicis, qui cum antea vir fuiſſet ſanctus & Dei Propheta, degeneravit in Ariolum. Ad excelſa quod ſpectat, poteſt reſponderi, Balaam eo adductum, vero Deo ſacrificaſſe; quæ videtur eſſe etiam ejuſdem Hieronymi ſententia (*a*). Auguſtinus quæſtionem non ſolvit; dicit tamen, Balaamum inter eos futurum, qui ſuprema judicii die reſponſuri ſunt Judici: *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus*? Quæ quidem verba Prophetam Dei adſtruere videntur, quamquam moribus perditum (*b*).

Prophetia Balaami interpretatio.

VIII. Sunt qui putant, Ariolum hunc ſcripſiſſe librum oraculorum ſuorum, unde Moyſes in ſuccum ſuum nonnulla derivaverit.

 Ori-

(*a*) Quæſt. Hebr. in Gen. quæſt. ad Simpl. ar. 9. & quæſt. 48. in Num.

(*b*) Aug. l. 1. de diverſ.

Origenes, & Auctor Operis imperfecti credunt, Magos, qui cunas Jeſum Chriſti adoraturi venerunt, verſaſſe libros Balaami, ex quibus didicerint, tunc novum Regem, & Salvatorem Judæis oriturum, cum novum quoddam aſtrum emicaret: *Orietur ſtella ex Jacob* (*a*). Uno autem Patrum Chriſtianorum, & veterum Hebræorum aſſenſu, vaticinium hoc Meſſiæ convenit. Ex recentioribus autem Judæis nonnulli illud de Davide exponunt ad literam. Sed qua ratione huic Principi congruunt illa: *Vaſtabitque omnes filios Seth?* Pronum enim eſt hæc accipere vel de mortalibus omnibus, qui Setho per Noe genus ſuum referunt acceptum; vel de omnibus juſtis, qui *Filii Dei* appellantur: quod quidem gloriæ agnomen deſcendentibus e Seth ante Diluvium ſcimus fuiſſe tributum. His autem omnibus, quovis ſenſu acceptis, nunquam imperavit David. Eſt igitur, cur vaticinium de Meſſia prono, & literali ſenſu interpretemur, qui ſuæ Eccleſiæ Regnum toto Terrarum Orbe propagavit; cujus tamen typum tunc David gerere potuit, cum Moabitas, aliaſque gentes ſuo imperio ſubmiſit. Plures ex noſtris putarunt, oraculum illud reſpexiſſe ſtellam, quæ Magos duxit ad cunabula Salvatoris; ſed ſtella illa ortum ſuum ex Jacob non referebat. Stella igitur, de qua Balaam, deſignabat nativitatem præſtantioris excellentioriſque Syderis ex Jacobi ſtirpe exorti, Meſſiæ ſcilicet, ſive Jeſu Chri-

(*a*) Orig. hom. 13. in hom. 2. in Matth. Vide Num. Auctor. Imperf. hanc Hiſt. l. 11. c. 3. n. 11.

Chriſti, quem nomine Orientis Zacharias prænunciavit. *Adducam ſervum meum Orientem* (*a*). Judæi ſuppares Chriſto, & illo etiam aliquanto inferiores, qui ſcilicet vivebant altero Eccleſiæ ſæculo, firma adeo perſuaſione tenebant, verba Balaami intelligenda eſſe de Meſſia, ut celeberrimus ex illis impoſtor nomen ſibi vendicaverit *Bar-Cochebas*, *Filius Stellæ*, Meſſiam ſeſe obtrudens, coegitque ſuos in Palæſtina ad defectionem a Romanis, quæ ultimam ruinam in miſeros illos induxit, pœnas Adriano Imperatore exigente.

Quid de colloquio Balaami cum aſina ſentiendum.

IX. Ad aſinæ Balaamiticæ verba, ſermonemque quod ſpectat, totum hoc fictum eſſe quoddam, & allegoricum, tenet Maimonides, relatumque dicit a Moyſe tanquam hiſtoriam, quidquid phantaſiæ ludibrio Balaami menti obverſabatur. S. Gregorius Niſſenus in vita Moyſis tenuiſſe videtur, aſinam nullum articulatum ſermonis ſonum edidiſſe, ſed ruditu ſuo, unde captare auguria ſolebat Ariolus, id ſignificaſſe, unde reſponſum alter interpretatus eſt: Moyſem vero de ridiculo traducturum artem hanc ſuperſtitioſam Haruſpicinæ, rem totam ita deſcripſiſſe, quaſi cum aſina familiare colloquium habitum fuiſſet. Sed hæc ſingularia ſunt, quæ critico quorumdam genio favere non debent. Superatne Dei potentiam, ut & aſina, humanos, conceptoſque ſermones exprimat? Nonnes ipſe dæmon adeo valuit, ut voces exprimeret e brutis, arboribus, amnibus, ſi

(*a*) Zach. VI. 12. & l. 7. c. 14. n. 16, 111. 8. Vide hanc Hiſtor.

ſimulacris ? Nec de veritate earum rerum omnium vades nos exhibemus; ſed nec omnes rejiciendæ ſunt, cum innixæ ſint fidei frequentiſſimorum, graviſſimorum, ſapientiſſimorumque Hiſtoricorum. Fac autem nutaret hiſtoriarum hujuſmodi veritas: nunquid & revocandum in dubium, quod ipſe per ſe Spiritus ſanctus in Moyſe teſtatur ? Quid quod Petrus Apoſtolus ita de re tota loquitur, tanquam certa, minimeque dubia? *Subjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ inſipientiam* (*a*).

Iſraelitæ in idololatriam & fornicationem ruunt; ſed non impune: ſummum Sacerdotium Phinei confirmatur.

X. Impii Balaami conſilio plus nimio obtemperatum eſt, ſubmiſſæque mulieres in caſtra Iſraelitarum, ad fornicationem, & ad Belphegor ſacrificia impulerunt (*b*). Juſſit tunc Deus Moyſi, ut populi Principes ſuſpenderet, vel quod ſe ſceleris conſortes præbuerint; vel quod ruentes in crimen populos auctoritate ſua non cohibuerint. Imperavit deinde Moyſes populi Judicibus ſingulis pro ſua Tribu, expenderent reorum cauſam, & quos conviciſſent de Idololatria, & fornicatione, neci traderent, & in erecta patibula a mane ad veſperam pariter ſuſpenderent. Interim vero Dominus per ſe ipſum plagam, quam peſtem fuiſſe credimus, immiſit in populum. Dum hæc in Sethim aguntur, foreſque Tabernaculi fletu, & lamentibus perſonant, Zambri quidam palam ad Madianitidem, nomine Cozbi, ingredi auſus eſt. Rei indignitate permotus Phinees, filius Eleazari, nepos Aaronis in lupanar

(*a*) 2. Petri II. 16. (*b*) Num. XXV.

panar coram omnibus ingreſſus, utroſque in verendis uno ictu transfodit. Quo uno viri facinore placatus Deus, ab exterminando populo ceſſavit, poſtquam 24000. interiiſſent. Summum Sacerdotium juris erat quidem Phinees, quippe qui inter filios Eleazari ſummi Sacerdotis primoris natu privilegio præſtaret. Tunc tamen quod ultus fuiſſet ſpreti Numinis majeſtatem, tam ipſi, quam poſteris ejus iterum confirmatum eſt (*a*). Sed qui hæc cum hiſtoria veritate concilientur? Scimus enim Heli ſummo Sacerdotio ornatum fuiſſe, qui ſane non ex Phinees, ſed ex familia Ithamari, Phineis patrui originem ſuam ducebat. Nonnulli vel ob ſocordiam, vel ob minorem ætatem, vel ob imperitiam eorum, qui erant ex Phineis familia, vel ad augendam Heli judiciariam poteſtatem, Sacerdotium illi collatum opinantur. Sed quidquid ſit de hoc, certum eſt eam dignitatem in eadem Ithamari familia perſeveraſſe, etiam poſt Heli, ſcilicet uſque dum occiſo Saulis juſſu Achimelecho, alio nomine Abiatharo, Sadoc e genere Phineis ſubſtitutus eſt (*b*). Ex illo autem tempore uſque ad Herodem Sacerdotium penes ejuſdem Phineis poſteros manſit. Quidam de Machabæis, apud quos ſtetit ſacra illa dignitas, dubitant, utrum videlicet genus referrent e Phinee; ſed omnem dubitandi anſam amputare videntur verba illa, quæ ad filios ſuos habuit Mathatias: *Phinees pater noſter accepit teſtamentum*

Sa-

(*a*) Num. xxv. 13.
(*b*) 1. Par. vi. 50. Marc. 11. 20. 1. Reg. xxii. 16.

Sacerdotii æterni (*a*). Hinc ad propoſitam difficultatem reponi poteſt, in ſerie 1400. circiter annorum, quæ a Phinee ad Herodem uſque fluxere, breve illud *96.* circiter annorum interſtitium, quo ab Heli uſque ad Sadocum dignitas illa e domo Phinees divagata eſt, perinde reputari ac nullum.

Quodnam Beelphegor Numen. XI. Quod Numen eſſet Beelphegor, quæ ejus ſacra, ſumma contentione diſquiritur. Suſpicati ſunt nonnulli, Beelphegor Numen Moabitarum ipſiſſimum fuiſſe generis illorum auctorem Loth. Sonat Beelphegor Deus detectus, & abſque pudore; quod congruit hiſtoriæ Loth filias in ebrietate cognoſcentis. Origenes, & S. Hieronymus in Beelphegor obſceniſſimum Gentilium Priapum invenerunt: alii autem Saturnum, alii Plutonem, alii Numen illud quod crepitum ventris appellant Pagani. P. Calmetus deprehendit *Orum*, Ægyptiorum Numen, inter quos longam moram traxerat Iſrael. Pſalmorum auctor referens hiſtoriam, quam verſamus, ait: *Initiati ſunt Beelphegor, & comederunt ſacrificia mortuorum* (*b*). Beel, ſive Baal, *Dominum* ſignificat, plurimiſque diis in Scriptura tribuitur. *Phegor*, ſeu *Peor*, idem eſt ac *Or*, ſive *Orus*, dempta ex *Peor* otioſa ſyllaba *Pe*. Orum autem unum eumdemque eſſe cum Adonide, ſive Oſiride, ne ambigimus quidem. Hujus Numinis ſacra funerum more Ethnici celebrantes, inciſionibus ſe ſe cruentabant, capita etiam radebant, & ſupercilia, quo ſingnificarent, ſe in

(*a*) 1. Machab. 11. 56. (*b*) Pſ. cv. 28.

in partem venire doloris alterius Numinis, ſcilicet Iſidis, ſive Veneris, quæ amiſſum ſponſum ſuum plorabat. Poſt luctum vero revixiſſe fingentes, in impudicitiam quamlibet effundebantur. Eo facile ſpectabat Moyſes cum ne inciſiones, neve inducatur calvitium præcepit (*a*).

Ultimus populi cenſus. Filiæ Salphaad hereditatem petunt. Moyſes rogat Deum, ut ſibi vitam proroget; ſed fruſtra. Joſue in ducem deſignatus. Bellum Madianiticum. Prædæ diſtributio. Portio Tribubus Ruben, Gad, & dimidiæ Manaſſis aſſignata. Stationes Iſraelitarum in deſerto. Cultus Moloch, & Remphan. Terræ ab Iſraelitis poſſidendæ limites.

CAP. XII.

I. Poſt ſumptas de Iſraelitarum fornicatione, & idololatria pœnas, cenſum populi Deus haberi voluit (*b*). Tres novimus cenſus ſub Moyſe inſtitutos; primum ſexto menſe poſt egreſſum ex Ægypto ante Tabernaculi erectionem, cum indictum eſt viritim tributum hemiſicli; alterum poſt evolutos ſeptem menſes a primo; cujus ducendi cauſam illud forte fuiſſe diximus, ut in profectionibus, & caſtramentationibus ordo ſervaretur; tertium denique & poſtremum, de quo modo, quadrageſimo anno itineris Iſraelitarum per deſertum. Cenſeri igitur juſſit Deus ex in- *Ultimus populi cenſus.*

(*a*) Deut. xiv. 1. (*b*) Num. xxvi.

integro viros a viginti annis & ſupra, ut pro ſingularum Tribuum numero diſtributio Terræ Hebræis promiſſæ digereretur, aſſignata majori illius portione majoribus Tribubus, minori minoribus (*a*). Porro hæc non pugnant cum iis, quæ Deus ſubjunxit, ut ſorte ſcilicet latifundia diſtribuerentur. Pronum enim eſt, ut credamus, factam jam diſtributionem pro ſingularum Tribuum numero, miſſas deinde ſortes confirmaſſe, id agente Deo, ut ſortito ea obvenirent ſingulis, quæ jam antea in meditata diſtributione acceperant. Quare nulla fuit earum ſortium utilitas, niſi ut querelæ omnes amputarentur, perſuaderenturque eo prodigio Iſraelitæ, neminem niſi Deum, quo largiente regionem obtinuiſſent, auctorem etiam diſtribuendæ fuiſſe. Alioquin populus ille incredulus, avarus, invidus ſuſpicionis aliquid ſeu gratiæ, ſeu minus curatæ æquitatis admittere potuiſſet. Porro nulla terrarum portio aſſignanda erat ætate 20. annorum inferioribus, quibus tamen jus paternæ hereditatis manebat; hinc nulla eorum ratio in cenſu habita eſt. Recenſiti fuerunt & Levitæ uno menſe majores. Porro tertius hic Iſraelitarum cenſus duobus prioribus minor fuit 1820. capitibus; nam in illis inventa ſunt 603550. in iſto vero 601730. Viciſſim autem Levitarum cenſus major inventus eſt; ad tria enim, & viginti millia ipſorum capita recenſita ſunt, cum antea nonniſi 22273. numerata fuiſſent. Animadvertit autem Moyſes, ex iis qui olim cen-

(*a*) Num. XXVI. 54.

cenſi fuerunt, nullum ſuperſtitem fuiſſe, qui in poſtremum hunc cenſum referri poſſet, præter Joſue, & Caleb. Quomodo autem hoc molliendum ſit, alibi expoſuimus (*b*).

II. Salphaad ex Tribu Manaſſis eodem cum ceteris omnibus fato occubuerat in deſerto, latæ a Domino ſententiæ reus, morte damnantis eos, qui murmuris ad Cades-Barne participes ſe ſe conſtituerant (*a*). Deceſſerat autem ſine liberis, & ad id uſque fundos nullos poſſederat; quare relictæ ex eo filiæ intelligentes, nullas ſibi in diſtributione terræ mox facienda partes obventuras, cum feminarum ratio nulla in deſcripto cenſu habita fuiſſet, Moyſem, Eleazarum ſummum Sacerdotem, & populi Optimates ante Tabernaculi oſtium convenientes, oſtenderunt, nomen & familiam patris ſui penitus extinguendam fore, ſi quidem omni hereditate in terra Chanaan ipſæ carerent. Cum enim, ajebant, in alienas familias jure connubii tranſituræ ſimus, ſi nobiſcum pariter nihil inferamus maritis paternæ hereditatis, nunquam illi quidem facient, ut nomen Salphaad & familia utcumque reviviſcat, adoptionis quodam genere tranſeuntes in ejus Tribum, & cognationem. Juberent proinde, ut ea ratio ſibi in diſtributione regionis haberetur, quemadmodum ſi patre, & fratribus non carerent. Rem Moyſes ad Dominum retulit, qui feminarum cauſam probans, juſſit, ut poſtulata concederet, edice-ret-

Poſtulationibus filiarum Salphaad fit ſatis, conſtituiturque lex de ſucceſſione in hereditatem.

(*a*) Vide hanc hiſtor. (*b*) Num. XXVII.

retque, patri ſine maſculis decedenti filias in hereditatem ſuccedere. Si autem nullos filios, nullaſque filias reliquiſſet defunctus, ſubſtituerentur fratres; horum defectu patrui; ſin minus, ſanguine propinquiores.

Preces de ingredienda Chananitide, quas fundit Moyſes, rejiciuntur. Joſue in ducem deſtinatur.

III. Reputans Moyſes, cum ſibi prædixiſſet Deus futurum, ut prohiberetur ab ingreſſu terræ promiſſionis, id nihil gravius fore, quam minas, edictumque non ita abſolutum, ut precibus, & animi demiſſione tandem ejus remiſſio non impetraretur, rogavit Dominum, ut ſibi cum ceteris Jordanem tranſire liceret, ac frui beata illa terra, cujus amœnitatem, fertilitatemque a longe Libanus ſibi oſtendebat (*a*). Mons iſte quatuor veluti montium ſtratis, ſuper alium alio, aſſurgit. Primum ſtratum frugum, fructuumque eſt feraciſſimum. Succedit aliud lapillis, & petris coaleſcens, quod tamen eximiæ plures aquarum ſcaturigines beant. Tertia perpetua arborum, florum, fructuumque viriditate, & opulentia præſtat, ut perinde reputes ac quemdam terreſtrem Paradiſum. Quarti ſtrati media pars viret arboribus, media albeſcit nivibus. Hinc monti conciliatum nomen Libanus; album enim apud Hebræos eſt *Lebanon*. Nil igitur mirum, ſi animus Moyſis laboribus, & ætate laxati ſpecie potiſſimum illius montis traheretur. Sed Dominus in propoſito voluntatis ſuæ perſeverans, ne hac de re illi amplius loqueretur, edixit, præcepitque ſimul, ut montem Abarim, cujus cacumen Phaſga appellatur, aſcenderet,

(*a*) Num. XXXVII, 12. Deut. III. 25.

deret, indeque Chanaanitidem ad ſatietatem uſque contemplaretur, certus tamen pedem in illam nunquam immiſſurum, in pœnam criminis ad aquas contradictionis admiſſi. Moyſes his auditis Deum rogavit ut ſaltem ſibi ſucceſſorem in populi regimine conſtitueret. Cui Dominus juſſit, ut Joſue filio Nun manus imponeret, eique præſcriberet leges, quas in gerendo munere ſervaret, partemque ſui Spiritus & imperii communicaret coram ſummo Sacerdote, omni inſpectante multitudine, ei ſimul præcipiens, nihil agendum, movendumque, niſi conſulto Domino, & expectato Sacerdotis oraculo. Statim hæc executioni mandata ſunt.

Bellum Madianiticum.

IV. Antequam montem Abarim conſcenderet Moyſes, alia nonnulla præſtitit. Imperavit igitur illi Deus, ut in Madianitas moveret arma, quibus ante obitum ulciſceretur crimen ab illis perpetratum, cum Iſraelitas in fornicationem, & idololatriam impellerent (*a*). Servandos cenſuit Deus Moabitas, ejuſdem ſceleris reos, in gratiam Loth patris ipſorum. Selectis mille de ſingulis Tribubus viris datus eſt imperator Phinees in præmium inſignis illius ſtudii, quo ſæviit in Zambri, & Cozbi. Arcam fœderis contra hoſtes deductam cenſent nonnulli (*b*). Conſertis cum illis manibus victoria ceſſit Hebræis; mares quotquot nacti ſunt trucidarunt, vaſtarunt agros, urbes, & prædam omnem diripuerunt. Quinque Reguli deſiderati ſunt, Evi, Recem, Sur, Hur, Rebe,

(*a*) Num. XXXI.

(*b*) Num. XXXI. 6.

qui regnabant ad Orientem maris Rubri. Eodem ac cetera fato obvolvit Deus impium Balaamum. Revertentibus victoribus obviam factus eſt Moyſes cum Eleazaro ſummo Sacerdote, ac populi Magnatibus; qui ut intellexit, illos pepercisſe feminis, & pueris, vehementer objurgavit, præcepitque, ne mitius cum illis agerent, puellis tantum virginibus, quæ Hebræos non feſelliſſent, reſervatis.

Prædæ diſtributio. V. Moyſes poſt hæc exercitum expiavit, prædamque diſtribuit. Singulis militibus permiſſum eſt quod quiſque ſibi in bello comparaverat. Conferre ea tantum juſſi ſunt, quæ ſpeciem ſui præberent majorem, ut greges, mancipia. Aurum, argentumque, vel grave, vel in ornamenta, periſcelides, armillas, anulos, monilia deductum, privatis permiſſum eſt. Hanc autem privatam prædam ſibi partim ſervarunt exercitus duces, partim vero manibus Moyſis & Eleazari, Domino conſecrandam, tradiderunt; idque in gratiarum actionem, quod in illa expeditione ne unus quidem miles deſideratus fuiſſet (*a*). Porro aurum quod eo nomine oblatum eſt, pendebat ſexdecim millia ſeptingentos quinquaginta ſiclos. Communis autem præda in duas æquas partes primo diviſa eſt, quarum prima ſepoſita iis, qui certaverant, altera populo, qui ſeſe in caſtris continuerat (*b*). Tum qui bello interfuerant, ex univerſa, quæ ſibi ceſſerat, maſſa, ſegregarunt quinquageſimam portio-

(*a*) Num. XXXI. 32. (*b*) Num. XXXI. 27. 48. 52.

tionem, ſolvendam Eleazaro ſummo Sacerdoti, & reliquis minoribus Sacerdotibus. Ita pariter e maſſa populi, deſtinata eſt quinquageſima portio, Levitis pendenda. Ita Eleazari, & Sacerdotum, quorum ſane minimus erat numerus, pars pro-portione reliquas ceterorum ſuperabat: ſicut, & præda militibus, qui prælio interfuerant, numero duodecim millium, ſegregata, opimior utique fuit quinquageſima circiter parte, quam quæ reliquo populo ceſſit. Multa autem hic obſervare licet, quæ in dividenda præda non ſemper apud Hebræos obtinuere (*a*).

Portiones Tribubus Ruben & Gad conceſſæ.

VI. Per id temporis regionem Madianitarum, & Regna Sehon, & Og, in poteſtatem Hebræorum redacta, ſibi poſtularunt Tribus Ruben, & Gad, id cauſati, quod tractus ille terræ uberrimus eſſet ad paſtum animalium, quorum copioſos habebant greges (*b*). Moyſes reſtitit primo, graviuſque illos increpavit, ratus murmur ad Cades-Barne olim factum innovari, nolleque eos cum fratribus ſuis trajicere Jordanem, manuſque cum Chananæis conſerere. Intelligens vero deinde, ipſos ad omnia paratos eſſe, nihilque in præſens quærere, niſi ut caulas pro ovibus ſuis, & ſtabula pro jumentis extruere, quaſſataſque urbes, hoſtibus ereptas, pro filiis, uxoribuſque reſtituere liceret, annuit, ea tamen conditione ſæpius ingeſta, ut trajecto cum ceteris Jordane, ceteris Iſraelitis ad ſubigendam Chanaanitidem ſo-

(*a*) 1. Reg. xxx. 24. & 2. Mach. VIII. 18.

(*b*) Num. XXXII.

ſocias vires conjungerent, nec quicquam præterea trans Jordanem ex domanda terra ſibi compararent. Ditio, quæ Rubenitis ceſſit, ſita erat inter torrentem Arnon ad Meridiem, & Jazer ad Septentrionem, montes Galaad ad Orientem, & Jordanem ad Occidentem. Tribus autem Gad portionem, tractui jam deſcripto ſeptentrionalem, intra torrentem Jaboc, & Mare Tiberiadis, obtinuit.

Portio, quam Manaſſis dimidium obtinuit.

VII. Cum autem Machir, ſive potius illius poſteri ex Tribu Manaſſis, facta irruptione ſubjugaſſet Galaaditidem, deletis Amorrhæis, qui illam occupabant, cenſuit Moyſes, ut regio illa victoribus, ceu propria ipſorum pars, permitteretur (*a*). In eadem regione Jair, qui & ipſe ſuum ex Manaſſe genus referebat, quædam occuparat, quæ deinde appellata ſunt *Avot-Jair*, ideſt villæ, ſive caſæ Jair. Nobe quoque perexit, & armis expugnavit urbem Chanath cum viculis ejus, in eodem terræ tractu ſitam; quam *Nobe* de ſuo nomine dixit. Hinc factum eſt ut & Tribus Manaſſis dimidium ſuam habuerit in transjordanicis portionem. Cum autem e Tribubus Ruben, Gad, & dimidia Manaſſis quadraginta ſolummodo virorum millia Jordanem trajecerint (*b*), in occupata regione ſubſtiterunt ſeptuaginta millia ac ſexcenti octoginta viri, viginti annis majores; poſtremo enim in cenſu Tribus illæ omnes numerum implebant centum decem millium, quingentorum ac octoginta virorum (*c*).

Opti-

(*a*) Num. xxxii. 39.
(*b*) Joſue iv. 13.
(*c*) Num. xxvi.

Optima profecto politica ratio poſcebat ut recens occupata provincia non deſtitueretur, ne regreſſi hoſtes jure poſtliminii iterum illam ſibi vendicarent.

VIII. Hic Moyſes recenſet ſtationes, ſive caſtramentationes, quas Iſraelitæ habuerunt ex Ægypto in Chanaanitidem contendentes (*a*). Sunt autem omnes numero 54. Prima igitur ſtatio eſt Rameſſes. 2. Socoth. 3. Etham. 4. Pihahiroth. 5. Beelſephon. 6. ad mare Rubrum. Poſt tranſitum, 7. ad deſertum Sur. 8. Mara. 9. Elim. 10. ad mare Rubrum. 11. ad deſertum Sin. 12. Daphca. 13. Alus. 14. Raphidim. 15. Horeb. 16. Sinai. 17. Tabeera, ſive Incenſio. 18. Sepulcra concupiſcentiæ. 19. Cades-barne. 20. Heſeroth. 21. Rethma. 22. Remmon-phares. 23. Lebna. 24. Reſſa. 25. Ceelata. 26. Sephor. 27. Adar, ſive Arad. 28. Maceloth. 29. Jabath. 30. Thare. 31. Metca. 32. Heſmona. 33. Moſeroth, cui forte & nomen Haſeroth. 34. Bene-jacan 35. Mons Gagad. 36. Jetebata, locus facile confundendus cum ſepulcris concupiſcentiæ. 37. Hebrona. 38. Elath. 39. Aſiongaber. 40. Deſertum Sin, ubi Cades, ſeu Cadesbarne, & Moſeroth, ſeu mons Hor. 41. Salmona. 42. Phunon. 43. Obodath. 44. Je-Abarim. 45. Torrens Zared. 46. Mathana. 47. Nahaliel. 48. Bamoth-Arnon. 49. Ar & Puteus. 50. Dibon-gad. 51. Helmon-Deblataim. 52. Mons Phaſga. 53. Kedemoth. 54. Sethim, ſive Abel-Setim. Minime autem re-

Caſtrametationes Iſraelitarum in deſerto.

T 3 putan-

(*a*) Num. xxxiii.

putandum eſt, Moyſem loca omnia recenſuiſſe, quibus Iſraelitæ caſtramentati ſunt, vel qua tranſierunt. Stationes tantum memoravit, inſigni aliquo eventu celebres, uti & nomina urbium, & deſertorum, penes quæ longior a populo mora tracta eſt. Nec etiam affirmare audemus, in locis omnibus, quorum nomina exhibet Scriptura, Iſraelitas reapſe ſubſtitiſſe; forte enim erant loca, per quæ tantum tranſibant, vel e quibus commeatum ſibi comparabant.

Quænam Moloch, & Chevan Idola. IX. Amos Iſraelitis, iter per deſertum habentibus, hæc exprobrat: *Portaſtis tabernaculum Moloch veſtro, & imaginem Idolorum veſtrorum, & ſydus Dei veſtri, quæ feciſtis vobis* (*a*): vel juxta Hebræum: *Portaſtis tabernaculum Regis veſtri, Chevan imaginem veſtram, & Aſtrum Deum veſtrum*; quem Prophetæ locum S. Stephanus laudans, juxta 70. Verſionem, ita habet: *Suſcepiſtis tabernaculum Moloch, & ſydus Dei veſtri Rempham, figuras, quas feciſti, adorare eas* (*b*). Non immerito reputaremus, Paganorum Numina humeris Iſraelitarum geſtata fuiſſe, aut ſaltem vecta curribus, uti moris erat apud Ethnicos recepti, eumdemque cultum illos impendiſſe Idolis, quem Levitæ Arcæ. Quidam plura Numina in allatis teſtimoniis agnoſcunt, alii unum dumtaxat. Sed quodnam illud? Plerique in Saturnum inclinant, Calmetus vero Oſiridem præfert (*c*). Oſiris regnavit in Ægypto, ibique

(*a*) Amos v. 26.
(*b*) Actor. VII. 43.
(*c*) Diſſert. de Idolol. Iſraelit. in deſerto.

que ſupremum cultum ſortitus eſt, tamquam Deus, qui in terra apparuerit; fatis vero functus, in Solem translatus, ut illam veluti anima ageret, creditus eſt. Aliis autem ſubiit, ut idem Numen in taurum tranſmigraverit; quod enim in univerſa regione pulcherrimum putabatur, & utiliſſimum, illud etiam dignum Deo contubernium arbitrati ſunt. Ita unus, idemque Deus multiplici ſimulacro colebatur; quem facile ſpectavit Amos triplici illo: *Rex veſter*, *Imago veſtra*, *Aſtrum veſtrum*. Pro Chevan quidam Rempham ſubſtitutum rentur. Porro *Chion* Hebræum, & Græcum *Kion*, columnam ſonat. Forte Idolum illud, quodcumque tandem fuerit, geſtabatur in adcicula quidem, vel ſub umbella, ſed ſuper columna, aut baſi erectum.

Hircorum ſive Piloſorum cultus proſcriptus.

X. Edicto cavet Moyſes ne Hebræi ultra ſacrificent *Hircis*, ſeu *Piloſis*, cum quibus fornicati ſunt (*a*). Hirci autem, ſeu Piloſi nomine intelligi Pan, Faunum, Satyrum, caprinis rictu, & femoribus repræſentatum, communis eſt opinio. Huic Numini potiſſimum deferebant cives Mendeſii (*b*), a quibus terra Geſſen, ab Hebræis in Ægypto habitata, non admodum diſtabat. Plura nec ſine horrore referuntur de cultu illi Deo impenſo, quæ indicantur illa Scripturæ phraſi: *Cum quibus fornicati ſunt*. De Vitulo aureo, & de Beelphegor noſtras conjecturas alibi attulimus. His

(*a*) Levit. XVII. 7. Diodor. l. 1. Strab. l. 17.
(*b*) Herod. l. 2. c. 46. Ælian. l. 7. c. 19.

continetur, quantum ſcimus, Idololatria Iſraelitarum per deſertum iter habentium.

Chananæorum exterminium indicitur, & limites Terræ promiſſionis deſcribuntur.

XI. Verbis Domini Moyſes præcepit Iſraelitis, ut cum tranſgreſſi fuiſſent Jordanem, occupaſſentque terram Chanaan, omnia, quæ utcumque Idololatriam ſaperent, deſtruerent, & habitatores exterminarent: hoſtes enim, ait, quibus falſa pietate peperceritis, erunt vobis deinceps oneri, & tormento, tanquam clavi in oculis, & lanceæ in lateribus (*a*). Deſcripturus deinde limites terræ, quam illis Dominus donaverat, duxit lineam meridionalem a Mari Mortuo, & deſerto Sin, regioni Edom proximo, ac ad aſcenſum Scorpionis deflexam, protendit uſque ad Senna, & Cades-barne; inde vero aduſque Adar, & Eſemonam, ex quo gyrantem deflexit uſque ad torrentem Ægypti, & ad litus Magni maris, nempe Mediterranei. Torrens Ægypti nihil aliud reputaretur, quam maxime Orientalis Nili ramus. Quibuſdam tamen eſt Beſor, torrens prope Rinocoruram conſtitutus. Sed Rinocoruræ tractum ad Ægyptum pertinere, nullibi legitur. Mare autem Mediterraneum magnum appellatur oppoſitione quadam ad mare Tiberiadis, & Mortuum, quæ nullam ferme majorem, quam Lacuum appellationem merentur. Porro Mare Mediterraneum occidentale habebat Palæſtina, nec aliis limitibus ex eo quidem latere illam Moyſes definit. Septentrionalis plagæ termini incipiunt, ait Moyſes, a Mare Magno, & perveniunt uſque

(*a*) Num. XXXIII. 51.

uſque ad montem altiſſimum, facile Libanum, ſive Caſium ad meridiem Orontis, cujus vertex 4. millibus paſſuum ad perpendiculum ſublimis quarta vigilia orientem Solem aſpicit, brevi circumeatu corporis diem noctemque oſtendens (*a*). Hinc, addit Moyſes, venitur in Emath, & Sedada, ac tandem in Zephrona, & Enan. Emath aliis eſt Antiochia, Syriæ metropolis, aliis Epiphania; ſed veriſimilius quæreretur in Emaſa, inclytæ Siriæ urbe ad Orontem, & Libano proxima, cum qua vel ipſo nomine congruit. Enan facile eſt urbs Gaana, quam Damaſcus ad Septentrionem reſpicit. Ex latere tandem orientali Moyſes definit Terram promiſſionis linea ab Enan per Sephamam, Reblatam, Fontem Daphin, Mare Cenereth, ſive Tiberiadis, & ſecundum Jordanem, ad mare uſque Mortuum porrecta. S. Hieronymus Reblatam cum Antiochia miſcet. Fontem Daphin exponunt communiter de fonte Daphni, non procul ab eadem Antiochia. Sed hæc maxime incerta ſunt. Hebræus fert tantum Hain, ideſt fontem. Regio ita deſcripta Chanaanitidem tantummodo comprehendit, præter quam Hebræi in transjordanicis multa jam occupaverant, multaque alibi erant occupaturi, Davide potiſſimum regnante. Deſignatis Palæſtinæ limitibus, elegit Moyſes decem Principes, ſingulos ex ſingulis Tribubus, qui ſub Eleazaro ſummo Sacerdote, & Joſue totius exercitus Duce deſignato, regionem, cum ſubjugata fuiſſet;

inter

(*a*) Plin. l. 5. c. 12.

inter novem Tribus, & dimidium Manaſſis, diſtribuerent. Varias deinde leges condidit Moyſes, ad urbes Levitarum, & Aſyli, ad puellas extra Tribus ſuas connubia quærentes, ad homicidium, ad talionem, & ad alia plura, de quibus ſatis ſuperque actum eſt.

Semel & iterum Moyſes pro concione populum alloquitur. Hebraeorum veſtes non attritæ. Altare in Habal, ſive in Garizim erigendum. Solemnes benedictiones & maledictiones. Joſue Iſraelitis præficitur. Canticum Moyſis, ejuſque in ſingulas Tribus oracula.

CAP. XIII.

Moyſes pro concione Populum alloquitur.

I. MOyſes exitum ſibi vitæ imminere intelligens, die prima undecimi menſis, anni ab incepto per deſertum itinere quadrageſimi, totam hiſtoriam illius peregrinationis in ſolemni populi concione expoſuit (*a*). Paulo poſt, coacto iterum populo Decalogum, ſolemni adeo apparatu ad Sinai illis traditum, in memoriam revocavit, illud ſerio animadvertens, non cum Patribus tantum illorum jam denatis, ſed & cum illis pariter fœdus tunc ictum fuiſſe. Commemoratis ad hæc Legibus ſubinde in deſerto datis, plures alias adjecit. Spopondit præterea, Deum ſtatim illos trans Jordanem traducturum, immiſſurumque in Chanaanitidis poſſeſſionem; exponens ſimul quæcunque illi mala pro conceſ-

(*a*) Deut. I. II. III. IV. &c.

ceſſis bonis Deo rependiſſent; ne ſe illa regione factorum meritis donari crederent (*a*).

Hebræorum veſtes in deſerto detritæ non ſunt.

II. Inter beneficia Iſraelitis a Deo collata in deſerto, & a Moyſe ea occaſione late recenſita, illud ſane inſigne, quod ſcilicet veſtes illorum nunquam vetuſtate defecerint, quodve ſoleæ uſu detritæ non ſint (*b*). Hoc Dei prodigium plures exaggerant, affirmantes, nedum veſtibus intactis iter feciſſe Iſraelitas, ſed, quod longe majus eſt, puerorum veſtes adoleviſſe una cum illis, ut accommodarent ſe ipſorum ſtaturæ. Plus aliquid ſupra fidem narrat S. Hieronymus (*c*), nec comas ſcilicet, nec ungulas toto eo tempore ſuccreviſſe. Alii tamen reputant, Deum ita rebus Hebræorum providentia ſua conſuluiſſe, ut nulla rerum indigentia tenerentur, non cibi, non veſtium, non calceamentorum. Cenſet Abenezra, cum ex Ægypto migrarent, plures veſtes illos ſecum tuliſſe. Suppetebant ſane illis greges, nec deerant artifices. Nil prohibebat, quin mercaturam exercerent de lana, & vellere ovium cum finitimis gentibus Arabibus, Moabitis, Amorrhæis, Idumæis, ſibi neceſſaria, quin & voluptuoſa comparantes. Si quis ſtatuat, ſervata fuiſſe præcepta cæremonialia in deſerto, de quo tamen ambigunt Interpretes, providere certe ſibi debebant farinam, panes, oleum, vinum, aliaſque ſacrificiorum appendices.

Altare in Chanaanitide erigendum.

III. Loquenti Moyſi in medio populi Sacerdo-

(*a*) Deut. IX.
(*b*) Deut. VIII. 4.
(*c*) Epiſ. 38. Nov. Edit.

cerdotes & Seniores applaudebant, ſeſeque adjungentes confirmabant populum, ut Moyſis juſſionibus per omnia obſequeretur (*a*). Quo autem perpetuum ſuæ in Deum voluntatis obſequiique extaret monumentum, præcepit illis Moyſes, ut Altare in Chanaanitide trans Jordanem erigerent, in quo mactatis victimis fœdus in Sinai ſancitum innovarent, innovatique fœderis Leges in ejuſdem Altaris lapidibus, calce in eam rem oblinitis, exararent (*b*). Porro Altare illud erigendum erat in montem Hebal, ſi textum Hebræum teneas; in Garizim vero, ſi Samaritanum ſequaris. Ambos illos montes vallis 200. paſſibus lata diſterminat; qua in valle Sichem jacet. Figura, altitudine, & ambitu in ſemicirculum compoſito inte ſe ſe ſimillimi ſunt; qua vero parte Sichem reſpiciunt, adeo prærupti ſunt, ut ne gradum quidem ſuſtineant.

Lis de Hebal & Garizim. IV. Quæ autem in Samaritanos de corrupto textu promovent ſuſpicionem, hæc ſunt. I. Eorum bono corruptio illa cedit; volunt enim, Deum publicum Religionis exercitium & centrum in monte Garizim conſtituiſſe; eoque illum reſpexiſſe, cum præciperet, ſacrificia nonniſi in loco a ſe electo offerenda (*c*). In quam pariter rem defendunt, in monte illo erecta fuiſſe Altaria ab Abrahamo primum (*d*), tum & a Jacobo (*e*), ac demum a Joſue

(*a*) Confer Deut. I. I. v. I. XXVII. I. 9.

(*b*) Deut. XXVII. 4.

(*c*) Deut. XII. 5. II. 13.

(*d*) Gen. XII. 6.

(*e*) Gen. XXXIII. 20.

ſue (*a*). Addunt tandem Deum aſſignaſſe Garizim ad proſpera imprecanda illis, qui Legi fuiſſent morigeri; cum interim in refractarios imprecari dira ſtatuiſſent in monte Hebal (*b*). II. Verſiones omnes Bibliorum Hebræis præ Samaritanis favent, leguntque Hebal pro Garizim. Fatendum tamen eſt, argumentum iſtud minoris roboris eſſe, cum Verſiones illæ omnes ex Hebræo, & quidem poſt conteſtatam litem, adornatæ ſint. III. Omnes omnino Iſraelitæ, regnantibus David & Salomone, Jeruſalem, poſtquam eo Arca translata fuit, ceu locum a Deo electum, adibant, nemine obmurmurante, aut Garizim præferente; nec diſſidium illud paruit inter Hebræos niſi poſt ſchiſma inter Regnum Judæ, & Regnum Iſraelis inductum, & facinus Manaſſis, primi Samaritanorum Pontificis, qui favore Sanaballat ſoceri ſui impetrata venia ab Alexandro Magno, Templum in Garizim ædificavit, eique ceu ſummus Sacerdos præfuit (*c*). Quando vero concederemus, legendum in genuino textu Garizim, & non Hebal, daremuſque etiam Patriarchas in illo monte ſacrificaſſe; numquid propterea recte inde inferretur, Joſue, & qui poſt illum Populo præfuerunt, publicum Religionis exercitium & centrum ibi conſtituiſſe? Id tantum conſtaret, erectum ibi Altare tumultuarium ad ſingularem quamdam & perfunctoriam cæremoniam. Exercitium cultus ſolemnis Religionis Judaicæ nun-

(*a*) Joſue IV. 8.
(*b*) Deut. XXVII. 12. 11.
(*c*) Joſeph. Antiq. l. II. c. 7.

nunquam ſejungebatur ab Arca Fœderis, nec illi certus fixuſque locus ullibi fuit, niſi poſtquam David ſedem illi conſtituit Hieruſalem, ubi & Salomon Templum eidem ædificavit. De loco ſatis, ubi Altare ædificandum erat.

Quid Altari inſcriptum.

V. Porro Altare illud ingentes lapides compingere debebant, adeo editum, ut in memoriam poſteritatis eſſe poſſet; ita vero ſolidum, ut diuturnæ temporis injuriæ reſiſteret; tam ingens denique, ut deſcripta ferret *omnia Legis verba*. Hoc autem varie a variis explicatur. Alii enim omnes omnino Moyſis Leges intelligunt; alii Librum tantum Deuteronomii; alii prolixam illam orationem, quam Moyſes in campeſtribus Moab recitavit; alii quædam Exodi capita, puta vigeſimum, vigeſimum primum, vigeſimum ſecundum, & vigeſimum tertium; alii Joſephum (*a*) ſecuti maledictiones & benedictiones, in montibus Hebal & Garizim pronunciatas, de quibus modo verba faciemus, quæque totius Legis epitomen continebant; alii tandem ipſum dumtaxat Decalogum; quorum ſententiam omnibus præferendam cenſemus. Una eſt Rabbinorum ſententia, deſcriptum ibi fuiſſe totum Pentatheucum, non unica, ſed ſeptuaginta linguarum generibus, ne ſcilicet ulla per Orbem gens ignorationem cauſaretur. Quis non rideat?

Quo ritu benedictiones & maledictiones pronunciandæ.

VI. Præcepit igitur Moyſes, ut bipartito exercitu, ſex Tribus utrimque in montibus Hebal & Garizim ſtantes, benedictiones illæ in Legis ſtudioſos, hæ maledictiones in tranſgreſ-

(*a*) Antiq. l. 4. c. 8.

greſſores, Sacerdotum & Levitarum ore pronunciarent, reſpondente ad ſingulas populo, *Amen*. Hæc autem omnia hoc ritu executioni ſub Joſue (*a*) mandata creduntur. Nobiliores Tribus Simeon, Juda, Iſſachar, Ephraim, Manaſſes, & Benjamin, quorum munus erat, ut poſt benedictiones reſponderent, *Amen*, conſtituerunt ſe in vertice Garizim; ac viciſſim Hebal inſederunt aliæ Tribus Ruben, Gad, Aſer, Zabulon, Dan, & Nephtali, quæ maledictionibus inclamaturæ erant. Tum Sacerdotes cum Arca & Joſue Senioribus populi præcedentes in valle inter duos illos montes jacente conſtiterunt: Levitæ circum Arcam; & Seniores & populus ad radices utriuſque montis; ſex utrimque Tribus. Omnibus ita diſpoſitis, Sacerdotes ad Garizim, in cujus vertice erant Principes, & ad radices, ubi Tribus, verſi, hæc exempli cauſa protulerunt: *Benedictus, qui Idola non cælaverit*. Ad quæ Principes & ſex Tribus reſpondebant: *Amen*. Tum Sacerdotes ad Hebal, in quo Principes erant ceteri cum aliis ſeu Tribubus, converſi, pronunciarunt: *Maledictus, qui Idola cælaverit*. Quibus illi addebant: *Amen*. Joſephus aliter id exponit (*b*); narrat enim, bifariam diviſo exercitu, ſex Tribus in unum montem, & ſex alios in alterum ſeceſſiſſe; Sacerdotes autem & Levitas, alios quidem prioribus, alios poſterioribus acceſſiſſe. Quæ pars Garizim tenebat, rogabat Dominum, ut benedictione eos donaret, qui legi ipſius

(*a*) Confer Deut. XXVII. 12. 14. cum Joſue VIII. 33.

(*b*) Antiq. l. 4. c. 8.

ipſius pie obſecuturi eſſent; inclambant alii in vertice Hebal conſtituti, & ſuo viciſſim ordine pronunciabant in illos pariter benedictiones; quibus & paribus votis alii reſpondebant. Denique maledicta in prævaricatores Legis utrique eodem ordine imprecabantur.

Moyſes poſt innovatum Fœdus Dei cum populo, Joſue ſucceſſorem ſibi conſtituit.

VII. Orationem ſuam clauſurus Moyſes, ad obedientiam Deo præſtandam iterum iterumque populum hortabatur, præmiorum ſpe venales animos alliciens, pœnarumque timore contumaces terrens. Ob oculos etiam poſuit, quæ in ſcelerum vindictam Judæis ſucceſſu temporis obventura erant ab Aſſyriis, Chaldæis, Perſis, Græcis, & Romanis; pluribus ſimul depingens Dei miſericordiam in Iſraelitas, qui poſt ærumnas & captivitates ad ipſum tandem erant reverſuri; nec omiſit oſtendere, divinas juſſiones ipſorum vires non ſuperare, liberamque facultatem cuique ineſſe, qua ad beatitudinem, vel ad extremam miſeriam pervenire poſſit (*a*). His Fœdus quadraginta ante annis in Horeb Deum inter & populum ſancitum, quodammodo innovatum eſt; cujus tamen innovationis ſolemnis cæremonia dilata eſt uſque poſt tranſitum Jordanis, quando Joſue erecto Altari, pronunciatiſque benedictionibus & maledictionibus, id perfecit quod Moyſes ſua ad populum concione tantum inceperat, indicararque (*b*). Significavit tandem Moyſes, ſe deinceps populo non præfuturum, non quidem ætatis provectiſſimæ injuria,

(*a*) Deut. XXVIII. XXX. VIII. 30.
(*b*) Deut. XXIX. Joſue

juria, cum, licet 120. annos ageret, neque corporis tamen, neque animi robore in eam rem neceſſario deſtitueretur (*a*); ſed Dei mandato, qui ſibi edixerat fore, ut ipſe Jordanem non tranſiret, atque Joſue populum in Terram promiſſionis adduceret; nolle proinde ſe diutius differre, quin virum, a Deo ſibi datum ſucceſſorem, abdicato a ſe Principatu ornaret. Hæc ubi dixiſſet, accito ad ſe Joſue coram univerſa multitudine: *Confortare*, ait, *& eſto robuſtus: tu enim introduces populum iſtum in Terram, quam daturum ſe patribus eorum juravit Dominus, & tu eam ſorte divides* (*b*).

VIII. Secundum hæc, dimiſſo populo, Legem duplici codice Moyſes deſcripſit, quorum alterum Levitis tradidit, in Arca Fœderis recondendum; alterum vero in manu Sacerdotum, populique Optimatum depoſitum juſſit ſingulis ſeptenniis in Feſto Tabernaculorum in ſolemni populi concione legi (*c*). An vero Codices illi totum continerent Pentatheuchum, vel aliquam tantum illius partem, non convenit, eædemque recurrunt opiniones, quas modo recenſebamus, cum de inſcribenda Altari Lege ſermo haberetur. Fert communis opinio, Legis lectionem ad Sacerdotes pertinuiſſe, etſi Joſephus ſummi Pontificis id fuiſſe tradat (*d*). Sunt tamen qui producto Joſiæ exemplo velint, Reges ipſos in Atrio Tem- *Duplex Legis Codex.*

V pli

(*a*) Deut. XXXI. 2. XXXIV. 7.
(*b*) Deut XXXI. 7.
(*c*) Deut. XXXI. 9. 26.
(*d*) Antiq. l. 4. c. 8.

pli Legem populo explanaſſe (*a*). Quidquid ſit de hac controverſia, illud certo ſcimus, Legis ſcilicet Autographum, Moyſis manu exaratum, & in Arca reconditum, regnante eodem Joſia in Templo repertum fuiſſe, atque a pientiſſimo illo Rege coram multitudine lectum (*b*).

Canticum Moyſis: Audite Cæli,quæ loquor.

IX. Paucis ante obitum diebus, Moyſes Dei juſſu una cum Joſue ad Tabernaculum venit (*c*), ubi Deus e columna loquens, diſceſſurum populum e fide poſt illius mortem, prædixit; non tamen impune, ſe pœnas de illorum criminibus exacturo. Quo autem apud Hebræos conſtans beneficiorum ſuorum, atque viciſſim debiti in ſe illorum obſequii memoria perennaretur, ſcirentque omnes, ſe nihil prætermiſiſſe eorum, quæ debuerat, illoſque monuiſſe infortuniorum, quæ imminerent, ſi ab eo defeciſſent, præcepit Moyſi & Joſue, ut Canticum, quod incipit: *Audite Cæli, quæ loquor*: exararent, exaratumque populo traderent excribendum, diſcendumque. Porro Canticum illud eſt veluti quædam totius Pentatheuchi ſumma, ſtylo adeo pathetico, verbiſque ita ſublimibus, ac ea ſententiarum granditate referta, ut nihil excellentius inveniri, aut excogitari poſſit. Præter Dei beneficia, minaſque in Iſraelitas, qui a Deo erant defecturi, continet etiam invectivam in Judæorum hoſtes, qui populum illum Deo quidem perduel-

(*a*) 4. Reg. XXIII. 2. & 4. Reg. XXII. 14. Rabb. apud Fag. Grot.

(*b*) 2. Par. XXXIV. 8.

(*c*) Deut. XXXI. 14.

duellem, ſed aliis minime iniquum, perſequebantur, monetque eos, ut gentem Deo conſecratam devotamque venerentur. An autem Deus ex tempore Canticum illud Moyſi tunc dictaverit, ſeu potius Moyſes ipſe ſub illius Numine antea elaboraverit, paratumque teneret, inter obſcura computatur. Eodem etiam tempore Dominus per ſe ipſum Principatum Joſue, a Moyſe illi jam aſſertum, confirmans: *Confortare*, ait ad illum, *& eſto robuſtus: tu enim introduces filios Iſrael in Terram, quam pollicitus ſum; & ego ero tecum* (*a*). His peractis, & Cantico illo coram populo recitato (*b*), eadem die Moyſes aſcendere montem Abarim, qui Nebo quoque & Phaſga appellatur, juſſus eſt, ut poſt viſam omnem regionem trans & citra Jordanem, Hebræis deſtinatam, ſupremam in eo clauderet diem.

X. Aſcenſurus jam ultimam benedictionem pius Pater mæſtiſſimis filiis impertitus eſt, benedictionem, inquam, ſingulis Tribubus peculiarem; in qua de futuris eventibus plurima vaticinatus eſt (*c*). Tribus tamen Simeonis, ni cum aliqua alia confuſa credatur, omiſſa eſt, ea forte de cauſa, quod Zambri omnibus videntibus cum Cozbi fornicari veritus non fuerit.

Moyſes omnibus Tribubus, excepto tantum Simeone, benedictionem largitur.

XI. Benedictionibus Tribuum Dei laudem Moyſes præmittens, ipſum pluribus commendat, quod eo uſque Iſraelitas dilexerit, ut nedum in Sinai verticem toto Majeſtatis apparatu, at-

Tribuum benedictionibus Dei laus præmittitur.

(*a*) Deut. XXXI. 23.
(*b*) Deut. XXXII. 1.44.
(*c*) Deut. XXXIII.

atque Angelorum ſatellitio comitante deſcenderit, ibique Legem illis inter fumum & flammas montem occupantes, tradiderit, ſed & in montibus Seir & Pharan manifeſtum ſe ſe exhibuerit, Populum ſuum ibi ceu Magiſter optimis imbuens doctrinis, adinſtar vero Matris ſinu complectens, ac tandem tanquam Rex defendens.

Benedictio Ruben. XII. Rubenis benedictio paucis clauditur: *Vivat*, ait, *Ruben*, *&* *non moriatur*, *etſi parvus in numero*. Quaſi dicat: Excidat ex animo injuria ab eo Patri, violato thalamo, irrogata, ordinemque ſuum inter ceteras Tribus conſervet; ſed poſteritate in Iſraele florenti, in criminis pœnam, non fruatur.

Benedictio Juda. XIII. Rogat Deum, ut Tribum Juda exaudiat, excipiatque ſupplicum vota & ſacrificia, ac bellicis eorum expeditionibus faveat; quæ in Davide potiſſimum completa conſpiciuntur.

Benedictio Levi. XIV. Gratulatur Levi ſingularem Urim & Thummim prærogativam, ſummo Sacerdoti ex ea Tribu collatum; extollit Levitarum fortitudinem, qua per media agmina diſcurrentes obvium quemcumque, quamvis arctiori ſanguinis vinculo conjunctum, trucidarunt. Docet munus illorum eſſe, ut non modo majori, quam ceteros, ſtudio Legem ſervare, ſed & a populo ſervandam curare, ac præterea Altari thymiama & hoſtias imponere. Verſus tandem ad Deum, illum orat, ut virtutem illius Tribus ſuo proſequatur favore, munera ab ea illi oblata ſuſcipiat, & arrogantiam eorum, qui ei adverſantur, coerceat.

XV.

XV. Benjaminum Deo dilectum prædicat, prædicitque futurum, ut ſecurus in ſua ſorte verſetur, Dei alis humeriſque protectus. Vulgo hæc de Templo, in ſorte Benjamini a Salomone ædificato, explicantur.

XVI. Omnium bonorum plenitudinem in Joſephi montibus, collibuſque collocatam aſſerit; nec immerito quidem: nam Tribus Ephraim & Manaſſis, qui genus ſuum ex Joſepho ducebant, in tradita ſibi hereditate, montibus vini, olei, frumenti, omniumque fructuum feracibus fruebantur. Optat deinde Moyſes, ut in caput Joſephi, qui eſt Nazaræus inter fratres, deſcendat illius benedictio, qui ſibi in Rubo ad Horeb apparuit. Porro Naſir, vel Nezir in Aula Regum Orientalium erat Præfectus a Rege ſecundus (*a*); quod ſane Joſephum, a Pharaone omnibus prælatum maxime decet. Comparat tandem Joſephum quidem Tauro, de cujus pulchritudine grandia profecto ſentiebant Veteres; frequentiſſimas vero Ephraim, & Manaſſis Tribus, Rhinocerotis cornibus, quæ præ taurinis ſolidiora ſunt, & ad impetendum penetrandumque aptiora. *Benedictio Joſephi, ſive Tribuum Ephraim & Manaſſis.*

XVII. Pandit diverſa Zabulon & Iſſachar ſtudia: quorum alter loci opportunitate illectus, maria ad negotiationem excurreret; alter vero ſe quietum intra regionem & tentoria ſua cohiberet, otium & ſoli culturam maritimis Zabulonis itineribus præferens. Inter benedicendum ſubjunxit: *Populos vocabunt ad* *Benedictio Zabulon & Iſſachar.*

(*a*) Chardin, Voyage de Perſe tom. 2. c. 5. p. 136.

montem : ibi immolabunt victimas juſtitiæ . Qui inundationem maris quaſi lac ſugent , & theſauros abſconditos arenarum (*a*). Porro verba hæc ad unam tantum Zabulonis Tribum pertinere crederentur, quæ occaſione ſuorum itinerum, alienigenas, ut ſecum Jeroſolymam ad Montem Sion venirent, invitabat, ingenteſque ex ea navigatione comparabat divitias. Volunt tamen nonnulli, *arenarum theſauros* indicare metalla, quæ e montium viſceribus effoderentur. Alii certant pro Muricibus, quorum celebre fuit nomen ex purpura, quæque non longe a Tyro piſcatu apprehendebantur. Sunt tandem, qui præferant arenas vitreas, ex quibus hodie pariter ingens eſt in ea regione commercium. Cum mercatores Mare excurrentes, forte ſub olla nitroſum quemdam lapidem collocaſſent, contigit ut idem ipſe lapis igne candeſcens liquaret arenam ex littore circa Tyrum deſumptam, produceretque liquorem pellucidum, qui in vitrum coaluit. A Ptolemaide ad uſque Tyrum, quo ſe ſe extendebant Tribus, quarum benedictiones expendimus, arena vitreis operibus aptiſſima eſt (*b*).

Benedictio Gad. XVIII. Moyſes eo potiſſimum nomine celebrat Tribum Gad, quod ſepulcrum ſuum intra illius ſortem contineat. *Vidit principatum ſuum, quod in parte ſua Doctor eſſet repoſitus*. Cum autem id hiſtoriæ veritati repugnare videatur, ferenti, Moyſem ſepultum fuiſſe apud montem Abarim, ſive Nebo, in regione Rubeni-

(*a*) Deut. XXXIII. 19. l. 36. c. 26.
(*b*) Strabo l. 16. Plin.

benitica ſitum, aliqui idcirco textum ita interpretantur, ut inſinuetur, benedictionem Gadi nihil aliud continere, quam gratulationem ei factam, quod primitias victoriarum ab Hebræis relatarum trans Jordanem, a Moyſe, Populi Principe & Legislatore, ſibi poſtulaverint, impetrarintque. Laudat etiam Gaditas, quod pomæria ſuæ Tribus dilataverint, quodve, ceu Leo, poſt captam prædam requieverint; quæ ad victorias Jephte non incongrue reducerentur.

XIX. Dan comparat Leonis catulo, qui ex Baſanitide proſilit, excurritque longius prædam quæſiturus. His coloribus exhibere facile voluit Sampſonem, aut Danitas illos, qui ex ſua portione egreſſi, Urbem Lais ad extremam oram Chanaanitidis conſtitutam occuparunt (*a*). *Benedictio Dan.*

XX. Nephtali abundantiam effert, prædicitque illum Mare & Meridiem poſſeſſurum. Hereditas hujus Tribus definiebatur ad Orientem Jordane, ad Septemtrionem Libano, ad Occidentem Tribu Aſer, ad Meridiem quadam Zabulonis parte, & Mari Geneſareth, ſive Tiberiadis. Eo forte Moyſis verba ſpectabant. *Benedictio Nephtali.*

XXI. Fauſta tandem adprecans Aſer: *Pulchra*, inquit, *florentique poſteritate beatus ſit*, *fratribuſque carus*, *ac dives oleo*. Verba autem his adjecta: *Ferrum & æs calceamentum ejus*: committunt inter ſeſe Interpretes. Aliis hic exprimitur bellicum Aſeritarum genium; *Benedictio Aſer.*

 olim

(*a*) Jud. XVIII.

olim enim milites calceis, ſive ocreis metallo ornatis munitiſque utebantur. Quidam, prioribus utcumque accedentes, hunc ſenſum præferunt: Aſer conteret pedibus, contemnetque inſtrumenta omnia bellica, ferrum, æs. Referunt tandem hoc nonnulli ad agriculturæ labores, quibus addicti Aſeritæ, calcea ære vel ferro munirent. De Aſer vaticinantis hæc poſtrema ſunt verba: *Sicut dies juventutis tuæ, ita & ſenectus tua*. Prædicitne conſtantem invariatamque rerum ſeriem? An potius optat, ut ea felicitas, qua ab exordio fruebatur, ad finem uſque perſeveret? Si poſteriorem interpretationem eligis, innuitur facile infortunium ejus Tribus, quod inter primas captivitatem Teglatphalaſſaris, Aſſyriorum Regis, experta eſt (*a*).

Benedictio totius Iſraelis.

XXII. Abſolutis ſingularum Tribuum benedictionibus, ſermonem ad totum Iſraelem Moyſes vertit, illique ſecuritatem, opulentiam, victorias, omnia denique bona ex eo promittit, auguraturque, quod Deus illorum protector Cælum æque ac Terram moderetur, deque omnibus ad libitum diſponat.

Obi-

(*a*) 4. Reg. xx. 19.

Obitus Moyſis. Diſſidium inter S. Michaelem & dæmonium de illius ſepultura. Viri decora.

CAP. XIV.

I. PIo benedictionum officio abſoluto, Moyſe e campeſtribus Moabiticis ad Jordanem, e regione Jerichuntis, monte Abarim, ſive Nebo, aut Phaſga, divinis juſſionibus obſequens, aſcendit, nemine facile comitante, cumque e vertice illius totam late Terram, quæ Hebræis ſubmittenda erat, Deo indicante proſpexiſſet, obiit *jubente Domino*, vel ut habet Hebræus, *in oſculo Domini* (*a*). Horum autem verborum duplex affertur explicatio. Altera hujuſmodi eſt: Mortuus eſt ad imperium, quod ipſi fecerat Deus illis verbis: *Aſcende in montem, & morere* (*b*). Altera vero: Mortuus eſt, converſo ore ad os Domini, qui oſculo animam ſervi ſui excepit. His tamen minime adoptamus narratiunculam ex apocrypho Libro, inſcripto, *Moyſis Aſſumptio*, deſumptam. Deus mandaverat Angelo Gabrieli, ut animam Moyſis educeret. Amovente autem a ſe illud munus Gabriele, amovente deinde etiam Michaele & Linghiele, utpote qui, cum præceptorem habuiſſent Moyſem; talia Magiſtro rependere indignum ſibi rebantur, propius factus eſt Samael, princeps Dæmonum, cui & nomen *Angelus mortis*, ut ani-

ANNO MUNDI 2553. ante Chriſtum 1447.

Moyſes obit.

(*a*) Deut. xxxiv. 5. (*b*) Deut. xxxii. 49.

animam illam a corpore ſevocaret. Sed aſpectus illius fulgore repulſus, recedere coactus eſt. Quare Deus ipſe ſpiritum Moyſis per oſculum ſuum extraxit. Hæc fabulæ auctor. Mortui cadaver Dominus Angelorum miniſterio condidit in quadam valle regionis Moabiticæ, e regione Phegor. Funeri autem Imperatoris ſui ducendo 30. ſolidos dies inſumpſerunt Iſraelitæ ad montis radices. Porro centum & viginti annos agebat Moyſes, cum e vivis ſublatus eſt, nec in ætate ita longæva aut oculis vis, aut ori dentes exciderant. Hæc ſacra Scriptura de Moyſis morte & ſepultura.

Variæ de obitu & ſepultura Moyſis opiniones.

II. Cum tamen quæ hactenus narrata ſunt, veluti tropum & allegoriam nonnulli acciperent, cumque illius ſepulcrum lateret, idemque una cum Elia in Transfiguratione Jeſu Chriſti apparuiſſet, ac tandem de cadavere ipſius S. Michael cum Diabolo altercatus fuiſſet (*a*), ideo de obitu & ſepultura Moyſis non una fuit Scriptorum ſententia. Plures ſane illum obiiſſe cenſent; non ita tamen ceteri. Scribit Joſephus, Moyſem, poſtquam ſupremo amplexu Joſue & Eleazarum ſummum Sacerdotem excepiſſet, cum adhuc illos alloqueretur, a nube ſubito ſuperveniente circumdatum in vallem quamdam fuiſſe ablatum; in ſacris tamen voluminibus ſcripſiſſe ſe mortuum, veritum, ne propter excellentem ejus virtutem a Deo raptum prædicarent (*b*). Quidam illum obiiſſe non negantes, revi-

(*a*) Epiſt. Judæ v. 9. (*b*) Antiq. l. 4. c. 9.

revixiſſe deinde, ac in Cælum translatum, affirmant. Alii tandem vivum adhuc eodem raptum ſcripſere (*a*). Sed illius mors & ſepultura nimis aperte exhibentur in Deuteronomio, cujus proinde verba nulla ambiguitate eludi poſſunt. Obitum Moyſis ad diem ſeptimam menſis Adar, qui anni ſacri duodecimus eſt, conſignant Hebræi. Joſephus tamen primam ejuſdem menſis diem præferre voluit. Decurrebat annus 40. ex quo pedem ex Ægypto populus eduxerat.

III. Quæ diffidii fuerit cauſa inter Michaelem & dæmonem de Moyſis cadavere, diu multumque diſputatum eſt. Autumarunt nonnulli, obſtitiſſe dæmonem, ne in ſepulcrum ejus cadaver inferretur, utpote indignum tanto honore, quippe qui Ægyptum necaſſet. Aliis viſum eſt, conatum fuiſſe dæmonem, ut ſolemni & publico honore cadaver inferretur ſepulturæ, quo ſcilicet locum frequentantes Hebræi incauti in Idololatriam prolaberentur. Quidam tandem altercationem illam ex eo repetunt, quod alio plane, ac ceteri homines, exitu ſublatum credant, hiſtoriam ingerentes, quam ſupra ex Moyſis Aſſumptione expoſuimus.

IV. Tradit Scriptura, nemini ad id uſque temporis innotuiſſe locum, quo Moyſis corpus ſepulturæ mandatum eſt. Hornius autem in hanc rem ſcribit, anno Chriſti 1655. paſtores quoſdam Maronitas in monte Abarim quamdam cryptam nactos fuiſſe, cui ignotis cha-

(*a*) Vide Calmetum in Deut. xxxiv. 5.

characteribus addebatur inſcriptio, a viris peritis ita poſtea interpretata: *Moyſes ſervus Dei*. Ejus rei fama totum Orientem in ſe convertit, ac viros doctos in diverſa diſtraxit. Jechonias autem, vir inter Judæos doctus, ſcripto libro contendit, alterius Moyſis ſepulcrum illud habendum eſſe, pluribus, quam Moyſes Legislator, ſæculis recentioris. Ita concepta ad fauſtum illud nuncium ſpes evanuit. Hæc Hornius (*a*); de qua tamen hiſtoria Bartoloccius dubius hæret anceplſque.

Moyſis laudes. V. Poſt narratam mortem & ſepulturam Moyſis, deſcribit Scriptura dotes, quibus vir ille ampliſſimus inter ceteros Prophetas diſtinguebatur. Prima eſt, quod Deus *facie ad faciem illum noſſet*; quod quidem ſignum eſt amoris Dei in illum ſingularis; quæ enim ardentius amamus, conſpicimus attentius. Altera prærogativa ex prodigiis ab eo factis deſumitur. Nihil profecto illis vel ſublimius, vel certius; coram duabus inimicis gentibus, Hebræis ſcilicet & Ægyptiis, edita ſunt, quæ proinde nolentes volenteſque illorum veritati atteſtari coguntur. Sunt autem non rara, non obſcura, non momento tranſeuntia, non in re levi, aut levi de cauſa facta. Sed inter tot tantaque prodigia illud utique recenſendum, ingens viri modeſtia, mentis demiſſio, vacuus pecuniæ cupiditate animus, æquitas, pietas, fides, zelus. Sacri Scriptores illum ubique prædicant, quos inter Jeſus filius Sirach illum

Deo

(*a*) Hiſtor. Eccl. ſæc. 17. ar. 37.

Deo æque ac hominibus dilectum appellat (*a*). Neque minus glorioſa de Moyſe teſtatus Salvator noſter, voluit, ut ſuæ Transfigurationi una cum Elia adeſſet, aſſeruitque in ejus Libris de ſe ſermonem fieri (*b*). Reipſa quidem quantus quantus eſt Pentatheuchus vaticinia & figuras Jeſu Chriſti, ejuſque Eccleſiæ præfert.

Singulare Moyſis de JeſuChriſto vaticinium.

VI. Illud autem Moyſes non per ænigma, ſed claris perſpicuiſque verbis de Jeſu Chriſto vaticinatus eſt: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus; ipſum audies* (*c*). Judæi, qui cum Jeſu Chriſto vixerunt, Meſſiam hic deſignari ultro fatebantur; id tantum contendentes increduli ejus ætatis, Jeſum ſcilicet non eſſe Chriſtum, ſive Meſſiam (*d*). Judæi recentiores teſtimonium illum ad Joſue, vel ad Jeremiam, aut ad aliquem alium ex Prophetis detorquent. Sed quiſnam Princeps iſte, aut Propheta Moyſi prorſus æqualis, perinde ac Moyſes audiendus, qui non ſecus ac ille in ſe uno Sacerdotis, Legislatoris, Regis, Judicis, & Prophetæ munera conciliet? Nullus profecto invenietur, niſi in Jeſu Chriſto quæratur, de quo divinus Pater, ad vaticinium illud Moſaicum utique reſpiciens, tribus Apoſtolis in monte conſtitutis: *Hic eſt, ait, Filius meus dilectus; ipſum audite* (*e*). Demus tandem Hebræis

(*a*) Eccli XLV. I.
(*b*) Matth. XVII. 13. Jo v. 46.
(*c*) Deut. XVIII. 15.
(*d*) Act. III. 22. VII. 37. Jo. I. 45. VI. 14.
(*e*) Luc. IX. 35.

bræis cauſationem aliquam obtendere poſſe, ſi in Jeſu perſonam Meſſiæ non agnoſcant; certe tamen nulla excuſatione defendent, quod illum tanquam Prophetam agnoſcere noluerint, cum nullis Prophetæ characteribus deſtituatur, vel doctrinam ſpectes, vel morum ſanctitatem, vel miracula. Si vero in Prophetarum cenſum Jeſum Chriſtum referant, felici demum neceſſitate cogentur illum fateri Meſſiam. Arctiſſimo enim vinculo duo hæc junguntur: Jeſus Chriſtus verus eſt Propheta; verus igitur eſt & Meſſias, & unicus Dei Filius; cum talem in Evangelio ſe ubique prodat.

Quid ſimilitudinis & diſſimilitudinis inter Moyſem & Chriſtum appareat.

VII. Intueri etiam licet in Moyſe ipſo Chriſtum ſub figura latentem. Miſſus a Deo Moyſes venit in Ægyptum, virga inſtructus, cujus virtute durum Pharaonis animum fregit, apertoque Maris Rubri ſinu populum in libertatem aſſeruit, eumque ſpatio 40. annorum manna pavit. Quid hæc oſtendunt, niſi Jeſum Chriſtum, qui miſſus a Patre in Mundum virtute Crucis imperium dæmonis evertit, homines per aquas Baptiſmatis in Eccleſiam deducit, eoſque Euchariſtiæ, aliorumve Sacramentorum pabulo nutrit? Verum ſi Moyſem inter & Chriſtum ſimilitudo eſt maxima, diſcrimina tamen inter ipſos eo etiam nos adducunt, ut in duobus hiſce viris quid interſit inter Evangelium a Chriſto latum, & Moyſis Legem ſentiamus. Moyſes enim ducit Iſraelitas ad limites uſque Terræ promiſſionis, ibique eo moriente imperium ſuſcipit Joſue, tra-

ducit-

ducitque populum in optatam hereditatem: quibus ſatis clare pingitur Lex vetus, nihil perficiens, ac ſolummodo viam ſternens ad felicitatem, quam Jeſu Chriſti Evangelium parit (a).

Prophani Scriptores Moyſis ſunt Plagiarii.

VIII. Laudes, quibus Moyſem proſecuti ſunt prophani Scriptores, maximum ſunt ejus elogii argumentum. Cum enim ab ejus hoſtibus, iiſque totius antiquitatis doctiſſimis, ferantur, nullus dubio locus, utrum ex ignorantia, vel adulatione oriantur. Veteres, tum ex Judæis, uti Ariſtobolus & Joſephus, tum ea Chriſtianis, uti Clemens Alexandrinus, Juſtinus Martyr, Tertullianus, Euſebius, Theodoretus, Ambroſius Auguſtinus, docent, Ethnicos Philoſophos Poetaſque ex Libris Dogmatibuſque Moyſis in ſuum ſuccum derivaſſe quæ puriſſima, ac pulcherrima in ipſis occurrunt. Hermippus vetus accuratuſque vitæ Pythagoræ Scriptor, teſtatur, Philoſopum illum ſua feciſſe plurima, quæ ea Hebræis didicerat, traduxiſſeque ad Græcos Philoſophiam, quam ab illis acceperat (b). Porphyrius, alius vitæ Pythagora Scriptor, tradit, hunc Philoſophum iter non modo in Ægyptum & Arabiam, verum & in Judæam atque Chaldæam inſtituiſſe, iiſque ex itineribus præcipuas Philoſophiæ ſuæ partes retuliſſe. Nec deſunt qui vel Circumciſione initiatum Pythagoram, atque Ezechielis diſcipulum faciant (c). Celſus Phi-

(a) Hebr. VII. 19.

(b) Apud Joſeph. l. 1. con. App. & Origen. l. con. Celſum.

(c) Vide Theodoret. l. 1. Therapeut. & Clem. Alex. l. 1. Strom.

Philoſophus, Nominis Chriſtiani inſectator acerrimus, ultro agnoſcebat affinitatem ſententiarum Platonis cum Moyſe, atque Judæorum Prophetis; ex quo tamen inferebat abſurdam hanc conſecutionem, nimirum Hebræos exſcripſiſſe Græcos, quaſi ſcilicet Moyſes & Prophetæ recentiores eſſent Platone, Græciſque Scriptoribus. Platoni etiam Numenius exprobat, nihil novi de Deo & Mundo dixiſſe, niſi quæ a Moyſe hauſerit. Neminem tandem latet, vulgo dici: Quid eſt Plato, niſi Moyſes Græcizans?

Fabulæ ex Moyſe cuſæ.

IX. In eam rem adduci poteſt, & ſimilitudo, quam docti quidam viri inter Moyſem & Bacchum celeberrimum Paganorum Numen agnoſcunt: Natus eſt ille juxta quoſdam in Ægypto, vel ſaltem nutritus fuit a Nymphis in montibus Niſæis, inter Ægyptum & Phæniciam; quibus montibus optime indicatur Terra Geſſen, Moyſis patria. Bacchus vix natus in arcula clauſus aquis fuit expoſitus. Grandia itinera ſuſcepit, copias e feminis non minus ac viris coaleſcentes habuit; plures populos ſubegit; flumina ſicco pede tranſvadavit; columna illi tribuitur; ejus fronti cornua appingebantur; thyrſum ſuum in terram projectum reptantem tanquam anguem vidit (*a*). Quid hic a Moyſe alienum? Tanta utique affinitas inter Bacchum & Moyſem induſtriæ ſane deputanda eſt, cenſendumque, fabulatores Moyſis hiſtoriam ad Bacchum tranſtuliſſe. Nec diſſimiles etiam lineas utrimque affines notaremus

(*a*) Vide Calmetum in Exod. XXXIX. 29.

mus Moyſem inter & Herculem, Mercurium, Typhonem, Muſæum. Miramur autem, Calmetum, qui ubique aſſerit, oſtenditque, Paganos Philoſophos & Poetas Scripturarum fuiſſe plagiarios, in ſingulari tamen diſſertatione, quam ea de re edidit, contraria omnia tenere, ratum, quæ utrimque ſimilia ſpectantur, caſui eſſe deputanda.

Moyſes Pentatheuchi Auctor. Criticorum quorumdam opiniones. Duplex Pentatheuchum, alter Hebræus, alter Samaritanus. Operis diviſio, conſilium, auctoritas, tempus. Ceterorum populorum antiquitas Pentatheuchi hiſtoriæ longe concedit. Libri Moyſi falſo adſcripti. Altera vita in Moyſis Libris indicata.

C A P. XV.

I. MOyſem ſcripſiſſe Pentatheuchum, cui inhærentes noſtram hiſtoriam hucuſque deduximus, una eſt omnium Hebræorum, Samaritanorum, Chriſtianorum, & Paganorum vox, quam nedum S. Paulus, ſed & ipſe Jeſus Chriſtus Dei Filius ſuo confirmat teſtimonio (*a*). Judæorum natio Opus illud ſummo ſemper ſtudio cuſtodivit; quippe quod geſta ſuorum Progenitorum, traditaſque ſibi Leges, quibus ipſorum Religio & Politia dirigerentur, contineret. Quando tota gens in duo Regna, Judæ ſcilicet, & Iſraelis, diviſa eſt, homines utriuſque Regni Librum illum apud *Moyſes Pentatheuchi Auctor.*

X ſe

(*a*) Rom. x. 5. Jo. v. 46.

ſe eadem diligentia conſervarunt. Cuthæi ſive Samaritani, qui ſedes Iſraelitarum in Transeuphratæa abductorum occuparunt, a Sacerdote eorumdem Iſraelitarum illum acceperunt. Judæi in Babylonicam captivitatem translati, ſecum aſportarunt; & cum inde ad avitum ſolum remeaſſent, ſecum pariter retulerunt; quem etiam collatis pluribus exemplaribus Eſdræ opera reformarunt, recenſueruntque; atque ita reformatum, recenſitumque Chriſtianis tandem tradiderunt. Hæc profecto non Herodoti Opera, non Platonis, non Ciceronis, non Virgilii poſſunt ſibi vendicare; de quibus tamen nullus dubitat, quin ipſos, quorum nomina præferunt, habeant Auctores.

Variæ de Pentatheuchi Auctore opiniones.

II. Quidam tamen ex recentioribus Criticis litem in Moyſem moverunt, conatique ſunt ab aſſerto adeo jure tantum virum deturbare. Plura, inquiunt, Pentatheuchum legentibus ſe ſe offerunt, ab ætate & charactere illius Legislatoris aliena. Anne hiſtoriam ſui obitus, quæ ad Operis calcem habetur, Moyſes ſcripſit? Anne vir modeſtus plane & moderatus, ſapienſque, qualis erat Moyſes, intexuiſſet ſibi elogium illud: *Erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra* (*a*)? Alius ergo a Moyſe cenſendus eſt Pentatheuchi Auctor. Sed quiſnam ille? Clericus animadvertiſſe ſibi viſus eſt in eo Opere nonnulla, Scriptorem referentia, qui in Transeuphratæis degeret, noſſetque probe regionem, quæ Paradiſum Terreſtrem, locum, in quo

Arca

(*a*) Num. XII. 3.

Arca poſt Diluvium ſubſtitit, Turrim Babelicam, Regnum Nembrodi, Babyloniam ſpectaret, ut circumſtantias, quæ Moyſi in Ægypto enutrito ignotæ eſſe debebant, notare poſſet & ſupplere. Hinc reputat, Sacerdotem illum, qui juſſu Aſſaradonis ad inſtruendos Cuthæos, vel Samaritanos ex regione Tranſeuphratæa venit (*a*), hiſtoriam, quam in Pentatheucho habemus, ſua induſtria & labore digeſſiſſe, addidiſſe vero Operi ſuo Codicem Legis, qui regnante Joſia in Templo repertus eſt. Omnia Hebraicis literis tradebat, cum non ſatis otii nactus fuiſſet addiſcendo Chaldæo. Auctoris non ſuſpecti Librum nihil continentem, niſi Hiſtoriam Legeſque ſuas Judæi facile exceperunt. Hæc Clericus. Sedit Simonio, aliiſque opinio, Pentatheuchum, qualis hodie extat, epitomen eſſe fuſioris Operis digeſti a Scriptoribus, in id a Republica Hebræorum deſtinatis, ut res geſtas literis conſignarent. Auctor Pentatheuchi, ajunt, narrationes ſuas interdum in pauca reſtringit, laudatque Opera ab aliis exarata, *Librum* ſcilicet *Fœderis*, *Librum Bellorum Dei*, *Librum Legis* (*b*). Placuit tandem nonnullis, Pentatheuchum alium quidem a Moyſe ornaſſe, ſed nonniſi ex Libris ab eo conſcriptis, & modo indicatis.

III. Sed poſt diuturnam ſane 3000. annorum poſſeſſionem nemo in Moyſem litigator admittitur, niſi afferantur argumenta, quibus reponi non poſſit, quæque demonſtrationes ſint, non con- *Adducta adverſus Moyſem argumenta confutantur. Duplex Penta-*

X 2

(*a*) 4. Reg. XVII. 24. 27. Num. XXI. 14. Deuter.
(*b*) Exod. XXIV. 4. 7. XXXI. 9.

theuchus, alter Hebraicus, alter Samaritanus.

conjecturæ. Quæ autem a recentioribus promuntur, a perſpicuitate illa longiſſime abſunt. Additamenta, inverſiones, omiſſiones, confuſa nonnulla, in compendium alia quædam redacta, minora profecto ſunt, quam ut demonſtrent, Operis Auctorem alium fuiſſe a Moyſe, cum & in ceterorum ſcriptorum Libris non raro occurrant. Recenſitum quidem alterius cura Pentatheuchum indicant, additis, detractis, mutatiſque nonnullis. Hanc autem variationem in Deuteronomio potiſſimum offendimus; quam quidem frequentioribus Exemplarium exſcriptionibus tribuendas cenſemus. Non enim Principes ſoli, ſed privatorum etiam ſinguli, illi Dei juſſu, hi vero ſpontaneæ Religionis impulſu, Deuteronomii Exemplar, veluti omnium divinorum præceptorum epitomen, ſibi deſcribebant, aut deſcribendum curabant. Inter ſcribendum autem amanuenſes notas voces pro abſoletis ſubſtituebant interdum, uti & obſcurum quandoque textum mancumque nacti, opportunas voces ſententiaſque perſpicuitatis gratia addebant. Ceterum ſi leve aliquod additamentum vel textus corruptio, ſatis eſſet abdicando a genuino Auctore Operi, cuinam tuta eſſet poſſeſſio ſcripti a ſe Libri, poſt unius etiam ſæculi lapſum? Nova Criticorum ſyſtemata pluries everſa ſunt. Sacerdos ille vel Levita, in Samaritidem ab Aſſaradone miſſus, Pentatheuchum plane non digeſſit; diu enim ante eam ætatem obtinebat, illumque ad manus habuiſſe Scriptores, qui poſt Moyſem floruerunt, exarati ab illis Libri ubique produnt.

Judæi

Judæi & Samaritani alieno nimis erant inter ſe ſe animo, quam ut alteri ab alteris ſacra Scripta acciperent. Si quis conferat Samaritanum Pentatheuchum cum Judaico, ſatis intelliget, utrumque ex eodem fonte & Autographo derivare. Quæ autem utrimque ſunt variantia, inducta illa vel ex ſcribentium incuria, vel temporum injuria, vel affectatione Samaritanorum, qui intrudenda cenſuerunt in textum quædam rebus ſuis, Templo præſertim in monte Garizim a ſe excitato, faventia; quæ autem utrimque ſunt additamenta, hæc recentiori manu irrepſerunt; olim enim ab exordio illa plane congruebant. Quæ tamen de dolo malo Samaritanorum dicta ſunt, non omnibus probantur. Etſi enim ipſorum Codicem a Doſitheo, apud Origenem noto (*a*), corruptum fuiſſe tueatur Uſſerius, incorruptiorem tamen præ Judaico defendit P. Morinus, qui illius editionem omnium primus anno 1631. curavit. Præfert autem illum, tanquam originalem, retinentemque eoſdem characteres, quos referebat, cum a Moyſe conſcriberetur. Porro characteres illi veteres ſunt genuinique Hebræorum, ſive Phænicum, quos nos a recentioribus Hebraicis diſtinguentes, *Samaritanos* appellamus. Poſt captivitatem enim Hebræi veterem ſcriptionis formam mutantes, ad Chaldæorum, cui in Babylonia aſſueverant, acceſſerunt, eaque adhuc utuntur. Ad Simonii, aliorumque opinionem quod ſpectat, Scriptores

X 3 publi-

(*a*) Contra Celſ. l. 1. tract. 14. in Matth. tract. 27. in Joan

publici, qui ætate Moyſis vixerint, illius ſomniantis phantaſiæ ſunt ludibria. Qui epitomen adornat, properat ad finem, opuſque ſemper urget. Cur ergo in Pentatheucho tot parerga, tot deſcriptiones, narrationeſque fuſiori ſtylo deductæ, ac non pauca ſemel; iterum, ac ſæpius repetita? *Liber* tandem *Fœderis*, & *Liber Legis* nil aliud ſunt, quam præcipua quædam ipſius Pentatheuchi capita. Quid eſſet *Liber Bellorum Domini*, alibi diſquiſitum fuit (*a*).

Quo tempore Pentatheuchus ſcriptus ſit.

IV. Quærunt Interpretes, quonam potiſſimum tempore Moyſes Pentatheucho ſcribendo manus admoverit? Quidam, Geneſim ſcriptam volunt ante egreſſum ex Ægypto, cum ſcilicet apud Jethronem Moyſes in Madianitide 40. annorum ſpatio ſubſiſteret. Probabiliora tamen tenere videntur, qui totum Opus ſcriptum putant in Arabiæ deſertis, cum, poſt murmur ad Cades-Barne, 38. annis in ea ſolitudine ab Hebræis erratum eſt. In ipſa enim Geneſi nomen *Jehovah* exprimitur, quod a Deo in viſione ad montem Horeb, expleto ſcilicet priori illo 40. annorum ſpatio, Moyſes didicit. Animalium etiam purorum ab impuris diſcrimen, Noemi hiſtoriam deſcribens, innuit; quæ ſi ad rogatam ea de re Legem reſpectum habent, nonniſi poſt caſtrametationem ad montem Sinai conſcribi potuerunt. Utcumque res ſe ſe habuerit, nullus extat in mundo Opus, quod de antiquitate cum Pentatheucho certare valeat. Homerus enim, & Heſiodus, quibus apud Prophanos nullus vetuſtior, 600. circiter annos Moyſe ſunt recentiores. V.

(*a*) Vide ſupra l. 4. c. 10. n. 4. n. 69.

V. Pentatheuchus Græca vox eſt, quæ ſonat, quinque volumina, ſimul conſuta. Opus illud apud Hebræos *Thora*, id eſt Lex appellatur. Tituli pariter Græci ſingulis libris præfixi, diverſum nomen apud Hebræos obtinent. *Geneſis* idem eſt ac Generatio, hiſtoria nempe genealogiæ & rerum a Patriarchis geſtarum. *Exodus* redditur Egreſſus; continet enim hiſtoriam Iſraelitarum ex Ægypto egredientium. *Leviticus* ſacrificiorum a poſteris Levi offerendorum cæremonias ritusque tradit. *Numerorum* Liber ex familiarum cenſu, unde opus inſtituitur, nomen obtinuit. *Deuteronomium* ſecundam Legem ſignificat; quippe quod omnes fere Leges in eodem Libro repetantur. Apud Hebræos Libris illis nomen inſcribitur ex voce, quæ in primo Operis limine occurrit. Hinc cum prima vox Geneſis in Hebræo legatur *Bereſchith*, ex illa Libro impoſitum nomen *Bereſchith*; eademque ratione Exodus *Veelle Schemoth*, Leviticus *Vajiera*, Numeri *Vajedabber*, Deuteronomium *Elle-haddebarim*, vocitantur. Uno tamen, eodemque contextu quinque illos Libros a Moyſe ſcriptos credimus, ut proinde Librorum diviſio recentiori manu invecta videatur. Hanc laudem Eſdræ quidam tribuunt. Sed quicumque ille fuerit, ad arbitrium Pentatheuchum ſecare in quinque illas partes voluit; cum nullum incommodum ſentiretur, ſi alia methodo Opus illud diviſum haberemus. Porro Capitum diviſio adhuc recentior eſt; ante annos enim 600. nullus Scripturæ textus adſcriptum præfert numerum capitis, unde de-

Pentatheuchi in quinque Libros diviſio.

ductus eſt. An autem ea diviſio ex Græcis repetenda ſit, vel a Latinis, ignoratur. Putamus tamen, Hugonem a S. Caro Dominicanum, qui obiit anno 1262. vel 1263. omnium primum certa adſcripſiſſe in Bibliis capita, ut Concordantias Latinas, a ſe digeſtas, commodiores redderet. Ferunt tandem, Robertum Stephanum in ſua Bibliorum editione anni 1545. diſtinxiſſe Textum per numeratos verſiculos, uti modo obtinet. Editiones ſane Bibliorum & Concordantiarum ſæculi decimiquinti & alterius ineuntis, nulla præferunt in verſiculis œconomiam.

Moyſis conſilium in ſcribendo Pentatheucho.

VI. In Geneſi Iſraelitarum animos ad Dei Legem, in quatuor reliquis Pentatheuchi Libris mox tradendam, præparaturus Moyſes, non vulgari atque conſueta præfatione utendum ſibi cenſuit; ſed excelſam ſtatim de Numinis potentia ideam populo ingerit, dum ipſum Cæli & Terræ, omniumque Creaturarum, verbo tantum prolato, atque unico voluntatis nutu Conditorem deſcribit; quibus ſimul omnem penitus de Mundi æternitate opinionem abolet, atque Ægyptios omneſque alios Idololatras, cultum Aſtris, Elementis, vilioribuſque creaturis impendentes, ſugillat. Nec ceteras Dei prærogativas omittit. Quid enim conducibilius ad Providentiam Dei aſtruendam, quam Noe, Abrahami, Iſaaci, Jacobi, Joſephi geſta? Quid ipſius Juſtitiam commendat magis, quam Diluvii, & Sodomæ, Gomorræque hiſtoria? Genealogiis deducendis, ac maxime Sethi ante Diluvium, & Semi

mi poſt Diluvium inſiſtit; illos enim Patres Judæi habuerunt; illos Salvator, in quem Judæorum vota collimabant, generis auctores fuerat habiturus. Poſt relatam hominum diſperſionem occaſione Turris Babelicæ, in unam familiam Phaleg & Heber hiſtoriam cogit; verſoque ad Abrahamum Hebræorum parentem ſtylo, magnificas promiſſiones ipſi factas a Deo de futuro Liberatore, ex illius genere mittendo, deque Chanaanitide ejuſdem poſteris aſſerenda, inculcat; quo ſane nihil erat aptius confirmandis, atque in ſpem erigendis animis illorum, qui in ejus regionis expeditionem progrediebantur. Potiſſima Legislatoris cura in eo verſatur, ut occaſionem innovandarum, vel conſtituendarum Legum aperiat, uti Sabbati, & Circumciſionis. Veteres inter ſe Gentium ſimultates, a ſua deductas origine, pandit. Maledictio Noemi in Chanaan prolata adducitur, ut cauſa terram, ab illius poſteris occupatam, Iſraelitis tradendi. Moabitarum Ammonitarumque, populi Dei nunquam non hoſtium, crepundia parum honeſta manifeſtantur. Jura primoris natu Jacobo aſſeruntur; cui ante & poſt ortum factæ promiſſiones, excluſo Eſau Idumæorum auctore, narrantur. His itaque argumentis Moyſem adductum putamus, ut ſuas Leges a Geneſi auſpicaretur.

VII. Quo autem Libri Moſaici, quemadmodum & tota Scriptura, ceteris omnibus Libris præponantur, illud primum occurrit, quod ſcilicet Deum habeant Auctorem, qui abdita *Pentatheuchi auctoritas.*

quæ-

quæque & obſcura ſcribenti pandebat, certis vero aſſertiſque aliorum relatione, aut propia induſtria & experientia cognitis, divinam fallere æque ac falli neſciam, auctoritatem conciliabat. Verum, quando res agenda cum illis eſſet, quibus nulla eſt hujus divinæ auctoritatis ratio, adhuc Pentatheuchum omnium Scriptorum Operibus præſtare, luculentiſſime oſtenderemus. Moyſes enim omnium Scriptorum, quorum extat memoria, ſuperat ætatem. Exploratum autem eſt, dum quæritur de rebus a noſtro ævo remotiſſimis, illi auctori majorem deberi fidem, qui ceteris eſt antiquior, cum rerum veritas ei magis perſpecta eſſe potuerit. Accedit, quod in Moyſe omnes veritatis notæ reperiantur. Vir enim eximii erat ingenii, rerum peritiſſimus, ſapientia etiam & conſilio eo uſque cumulatus, ut his animi ſui dotibus undique ejus ſcripta redundent. Nihil ergo illum ſcripſiſſe cenſendum eſt, quod exploratum penituſque compertum non haberet. Eſto, potuiſſet populo rudi pro ſuo arbitrio quædam imponere, ex iis potiſſimum, quæ ipſi præſentes non aſpexerant, vel aliunde perſpecta non haberent; ne tamen niſi vera doceret, fecit inſitæ probitatis, atque genuini candoris virtus, cujus in omnibus geſtis ſuis minime fucata documenta monſtravit. Si humani aliquid ad aquas contradictionis paſſus eſt, ſilentio rem non involvit; quod etiam in referendis fratris ſui Aaronis, atque ſororis Mariæ erroribus obſervat. Filii loco a Regis Ægypti filia aſſumptus, quo honorum divitia-

rum-

rumque non perveniſſet, ſi tantam Aulæ ſpem ſponte non reſpuiſſet, ut de ſuorum fratrum calamitatibus partem conſequeretur? Quibus profecto fratribus juvandis adeo inſtitit, ut Regis ira in ſe concitata ſibi demum fuga conſulendum fuerit. Toto eo 40. annorum ſpatio, quo in deſerto peregrinatum eſt, multum a populo querelarum, obloquutionum, injuriarum ſuſtinuit invicta patientia, atque mira condonandi facilitate. Ipſe de ſe tanquam de alieno in ſua narratione verba facit; vel ſi aliquando ſe prodat, ideam tamen exhibet hominis, velut lateſcere volentis. Vixit omnis hypocriſis & ſuperbiæ expers; obiit nullis dignitatis inſignibus ſuæ familiæ relictis. Si impoſtor fuiſſet, impoſtoremne Deus tot prodigiorum coram Ægyptiis, Hebræiſque patratorum, gloria ornare voluiſſet? Si quid forte veritati non conſonum protuliſſet, ſiluiſſentne Iſraelitæ, quorum honori, nomini, propenſioni tot tantaque contraria recenſuit? Ejus præterea narrationes ita inter ſe mutuo connectuntur, gravitate adeo & prudentia cohærent, taleſque veritatis & ingenuitatis characteres præſeferunt, ut omnem doli, mendaciique ſuſpicionem amoveant. Nihil turbidum, æquivocum nihil in ejus ſcriptis deprehenditur; procul ambages, atque de induſtria quæſitæ digreſſiones, quibus ſubdoli Scriptores aliquando lectores ſuos longe a veritate abducunt; quo facilius inſinuare falſa, atque mendacium, facile alioqui in ſimplici & aperta narratione prodendum, incautis ſupponere valeant.

leant. Moyſes recta ad ſcopum contendit, ut ſi quid eſſet in ejus hiſtoria falſi, & repugnantis, ſtatim ſentiretur. Deum ſuæ dumtaxat vocis imperio Mundum creaſſe, nulla adducta ratione, nulla prolata auctoritate, aſſerit. Prodigia ſupra captum hominum ſimplici ſtylo, ac veluti tranquillo ac ſecuro vultu deſcribit. Ultro quidem fatemur, in ejus hiſtoria plura extra ſuum locum, & temporum ſeriem vagari; ſed hæc ſunt potiſſimum genuini Scriptoris indicia; quippe qui omnium oculis explorata ac comperta narrans, non eam ſedulitatem rebus exponendis affert, quam Auctor vel non ſynchronus, vel aliud quam veritatem præ oculis habens. Porro ſi quis dolo aliquo malo mendacium ſive ſuppoſititium Opus obtrudere voluiſſet, illene conſilio ſuo incautus adeo providiſſet, ut ea in ſpeciem repugnantia Libro ſuo inſerens, fraudem ſuam proderet? Qui tantum valuiſſet ingenio, ut Pentatheuchum procuderet, ille ſane errori tam craſſo impar fuiſſet.

Traditio inter veteres Patriarchas conſervata. Divina Pentatheuchi revelatio.

VIII. Priores tantummodo Geneſis hiſtoriæ quas utique per ſe ipſum Moyſes ſcire non poterat, aliquam forte inducant difficultatem; quæ tamen imminuitur, quin & penitus tollitur, ſi meminerimus, eorum, quæ ante & poſt Diluvium geſta ſunt, traditionem, priorum hominum diu viventium ratione habita, Moyſi ſatis recentem fuiſſe. Mathuſala enim vixit cum Adamo annos 244. Semus cum Mathuſala 100. Iſaacus cum Semo 50. Jacobus cum Iſaaco 120. Ephraim & Manaſſes, Joſephi

phi filii, cum Jacobo 25. Moyſes tandem filiorum Joſephi conſuetudine ſatis longâ uti potuit, cum a morte Joſephi uſque ad ortum Moyſis anni dumtaxat 64. interceſſerint, breve ſane pro ea etate ſpatium. Hinc ſervatas in familiis earum rerum memorias Moyſes facile colligere potuit. Ad hæc, rerum ante geſtarum ſcripturas & monumenta jam tunc extitiſſe aliqua, exactus annorum, quibus Patriarchæ vixerunt, computus, ſi non demonſtrat, ſaltem innuit; quorum ſi quidquam vel apud Ægyptios, vel apud Hebræos ſervabatur, Moyſes profecto præ ceteris norat. Demum quæ a Moyſe referuntur, ea ſunt, ut facile in hominum memoriam conſervarentur, Mundi creatio, Adæ lapſus, Diluvium Noe, Turris Babel, Nembrodi Imperium. Ex his tamen perperam quis colligeret, eliminatam a nobis divinam Pentatheuchi revelationem. Futura enim Moyſes prædixit, præterita etiam oculis hominum nunquam viſa recenſuit; quæ quidem utraque nonniſi Deo revelante ſciri poterant. Mundi creationem exempli cauſa exhibet, cui hominum nemo adfuit, ne ipſe quidem Adam, cum nonniſi poſt cetera a Deo ſexta die creatus fuerit. Hebræorum a fide defectionem (*a*), Meſſiæ, ſive magni Prophetæ adventum (*b*), Joſue victorias (*c*), futuram ſingularum Tribuum ſortem (*d*), aliaque multa, quæ poſt illius obitum adamuſſim completa fuerunt, prænunciavit.

IX.

(*a*) Deut. XXXII. 15.
(*b*) Deut. XVIII. 15.
(*c*) Deut. XXXI. 3. 7. 8.
(*d*) Deut. XXXIII.

Nulla antiquitas Pentatheuchum ſuperat.

IX. Qui mundum pluries innovatum volunt, & ante Adamum homines extitiſſe, aliaſque præter eas, quas ex Moyſis Libris novimus, Imperiorum & Religionum vices, ætateſque præteriiſſe opinantur, de ſuis ſibi cogitationibus plaudant. Syſtemata, hypotheſes, æræ, methodi, niſi ſolidis argumentis fulciantur, eadem facilitate, qua eriguntur, etiam proſternuntur. In novis inventis, in regionibus recens detectis, in artibus poſt aſſignata per Moyſem tempora excogitatis, ſuæ novitatis characteres Mundus undique profert. Firmiora ceteris monumenta, marmora, nummi, ædificia, inſcriptiones, ſingula omnia Mundum non diu antea conditum oſtendunt. Orientales ſcribendis Hiſtoriis præ Occidentalibus incubuiſſe videntur. Inter eos vero qui antiquitate ſe maximè jactant, Chaldæi ſunt, Ægyptii, & Sinæ.

Chaldæorum antiquitas Pentatheucho longe concedit.

X. Chaldæi juxta Diodorum Siculum obſervationes aſtronomicas annorum 472000. apud ſe habere comminiſcebantur. Cicero illas reſtringit ad 470000. Beroſus vero, & Critodemus ad 424000. Sed Epigenes viciſſim ad 720000. extendit (*a*). Verum Cicero portentoſam hanc vetuſtatem ſtultitiæ, vanitatis, & imprudentiæ condemnat. Ariſtoteles, indagandæ veritatis gratia, ad Calliſthenem tunc temporis cum Alexandro Magno verſantem, literas dedit, ut ſi quid certioris ea de re deprehendere poſſet, reſcriberet. Calliſthenes obſer-

(*a*) Diodor. l. 2. Cicer. l. 1. & 2. de Divinat. Beroſ. Critod. Epigen. apud Plin. l. 7. c. 56.

obſervationes annorum 1903. ab exordio Monarchiæ Chaldæorum uſque ad Alexandrum remiſit (*a*). Hæc circa annum Mundi 3676. contigere. Porro ſi huic annorum numero ſubtrahas annos 1903. annum Mundi 1773. habebis; circa quod tempus & Turris Babel, & Chaldæi Regni per Nembrodum fundamenta locata ſunt. Quare Chaldæorum obſervationibus Moyſis hiſtoria longe eſt præferenda.

XI. Ægyptii ſuum ipſorum Imperium a Diis primum, a Semideis deinde, ſeu Heroibus, ab hominibus ſeu Regibus poſtremo geſtum tuebantur (*b*). Deorum & Semideorum Regno 34201. annos tribuebant; Regum vero Imperio, poſt Menem uſque ad Nectanebum, ab Artaxerſe Ocho Perſarum Rege, undeviginti annis ante Alexandri Magni Monarchiam, depulſum, 2324. annos ſtatuebant. A Nactanebo autem uſque ad Chriſtum 340. circiter anni effluxerunt. Ita fit, ut ab initio Ægyptiæ Monarchiæ ad Salvatoris ortum 36865. anni ſupputentur; quod quidem ab omnibus reſpuitur. Dicunt aliqui, methodum, quam veteres Ægyptii in ſupputando ſuorum Principum Imperio ſervabant, Chronologiæ ipſorum augendæ, & primorum Regum annis multiplicandis, conduxiſſe. Aſſerit Palæphatus, Regum ſuorum Imperium dierum, non annorum ſupputatione Ægyptios metiri ſolitos fuiſ-ſe

Ægyptiorum anni quomodo reformandi.

(*a*) Porphyr. apud Simplic. l. de Cælo: pud Sincell. Vide Marſham. Canon Chronolog. Ægypt.

(*b*) Vet. Chron. Ægypt. Manetho, Eratoſthen. a-

ſe (*a*). Recentiores Ægyptii facile pro diebus annos poſuere. Tradit Diodorus, antiquitus Ægyptiorum annum uno tantum menſe, juxta Lunæ periodum, conſtitiſſe (*b*). Auctor eſt Cenſorinus, annum Ægyptium primo duobus dumtaxat menſibus æquaſſe, reformatum deinde regnante Piſone ad quatuor, poſtremo ad duodecim reductum (*c*). Hac ratione incredibilis Ægyptiarum Dynaſtiarum vetuſtas ad æquam menſuram reduci poteſt. Volunt, exempli cauſa, Helion, Vulcani filium, regnaſſe 4477. annis. Si annis dies ſubſtituas, regnum illius ad 12. annos, 3. menſes, & 4. dies, reſtringes. Si vero pro ſingulis annis ſingulos menſes intelligere mavis, Regnum illius ad annos 373. & menſem unum limitatum habebis; quod pro diuturna veterum hominum vita incredibile non eſt.

Ægyptiorum Dynaſtiæ ſunt collaterales.

XII. Ad Dynaſtias Ægyptiorum quod ſpectat, certum eſt, non omnes eſſe ſucceſſivas, ſed plures collaterales, ut plerique Reges ſucceſſive numerati, coævi fuerint, in ſua ſinguli Ægypti regione imperantes. Quare Regum illorum catalogi ſeptem nomina præferunt, juxta ſeptem regiones, in quibus erant Dynaſtiæ; *This* ſcilicet, *Memphis*, *Dioſpolis*, *Thanis*, *Sethron*, *Elephantina*, & *Sais*. Si igitur hæ Dynaſtiæ una poſt aliam collocentur, facile intelligitur, incredibilem illis vetuſtatem poſſe tribui, quam nunquam habuere. Ad hæc, alii

(*a*) Fragment. ex Chron. Alex.

(*b*) Diodor. Sicul. l. 1.

(*c*) Cenſorin. de die Natal. c. 19.

alii Ægyptiorum Dynaſtias contrahunt, alii præcidunt, alii omnino rejiciunt. Hinc quæ de Ægyptiorum vetuſtate prædicantur, incerta omnino ſunt. Si quid autem certi conſtet, illud hauriendum a Libris Moſaicis, qui Ægyptios a Chan Noe filio, & a Mezraim filio ipſius Chami, egreſſos oſtendunt (*a*). Varro, qui circa annum ab Urbe condita 700. ſcribebat, Ægyptiorum Regno 2100. annos tribuit. Si autem annis Mundi 3956. in quos annus ab urbe condita 700. incidit, detrahas annos 2100. pervenies ad annum Mundi 1856. Atque adeo Ægyptiorum Regnum diſperſione Gentium a Moyſe indicata recentius eſt. Nec ab eo ceteri Scriptores abludunt (*b*), aſſignantes eidem Regno annos 1663. uſque ad captam Ægyptum per Cambiſem anno Mundi 3483. Retrogrediendo enim ad annum 1820. venitur; qui quidem eadem diſperſione eſt poſterior.

Sinarum vetuſtas, quando eſſet aſſerta, Noemi ætatem non progrederetur.

XIII. Sinæ etiam magnam oſtentant antiquitatem. Verum ipſis fatentibus hiſtoria quæ Regem Fohi ſuperat, fabuloſa eſt. Fabuloſa pariter ſunt, quæ de ipſo Fohi, ejuſque ſucceſſoribus tradunt. Quando autem illa ceu certa compertaque haberentur, non idcirco tamen cauſa excideremus. Cum enim Fohi annis 2352. ante Chriſtum regnaverit, Sinarum Imperium non poſſet extendi ultra annum Mundi 1648. quæ quidem antiquitas præſtan-

 tiſ-

(*a*) Vide hanc Hiſtor. l. 2. c. 12. n. 18. & 27. (*b*) Conſtant. Manaſſ. in Annal.

tiſſima eſt, ſed Hebræorum vetuſtate & hiſtoria longe minor, cum in ipſo Noe conſiſtat. Ceterum non tantum Sinæ, ſed & ceteræ omnes nationes Noe in Regem adſciſcere ſibi poſſunt, cum omnes omnino homines poſt Diluvium ab eo originem trahant. Tradunt Orientales Sinarum provinciæ inditum nomen ex *Sin* filio Japheti, qui ceteros filios Japheti ſuperabat ætate, ingenio, optimaque hereditatis portione, quippe cui amplus Sinarum tractus ceſſit. Eo magiſtro didicerunt picturam, ſculpturam, ac ſerici opificium varium; uno verbo, quidquid ferme artis hodie regnat apud Sinas, ac negotiatores allicit exteros, eidem auctori referuntur accepta (*a*). Hæc illi; de quibus tamen altum eſt in Scriptura ſilentium.

Quid de Græcorum Latinorumque antiquitatibus ſtatuendum.

XIV. De antiquitatibus Græcis & Latinis hæc addimus, Varronem ſcilicet tempora omnia in tres claſſes diviſiſſe (*b*); primam a Mundi exordio uſque ad Diluvium, alteram a Diluvio uſque ad primam Olympiadem; ultimam a prima Olympiade uſque ad eam, qua ipſe vivebat, ætatem. Primam *Ignotam* appellat, nec ſane Græci & Latini quidquam de ea norant. Alteram dicit *Fabuloſam*; quod quæcunque Græci dixerant, commentis & fabellis inſerſerint. Ultimam tandem vocat *Hiſtoricam*. A prima igitur Olympiade, quæ ad annum Mundi 3228. conſignatur, hiſtorias

(*a*) Biblioth. Orient. p. 811.

(*b*) Apud Cenſorin. de die Natali, c. 21.

ſtorias tantummodo agnoſcebat vir ille Romanorum doctiſſimus; a qua ſane ætate Græcorum hiſtoriæ conſtanti certiorique methodo cœptæ ſunt conſcribi. Quamvis autem Græcorum hiſtorias, non ab Olympiadibus, ſed a Trojano bello, aut ab Ogygis etiam Diluvio hucuſque certas fateremur, quo idcirco nos perventuros putamus? Trojæ expugnatio contigit circa annum Mundi 2820. eo ſcilicet tempore, quo Jephte judicabat. Ogygis Diluvium ſtatuitur circa annum 2208. diu ſcilicet poſt Abrahami obitum. Latinorum etiam res ante Romam conditam incertæ. Caci, Latini, & Turni hiſtorias, Evandri, & Eneæ in Italiam adventum, Remi & Romuli ortum atque educationem, inter ea recenſemus, in quibus parum veritatis, fabulæ plurimum eluceſcit. Certum Romæ conditæ tempus ignoratur. Primi Urbis incolæ vel colendis agris, vel bellis gerendis omnino addicti, nihil de Chronologia, de Literis, aut Hiſtoriis cogitarunt. Plurimi Romam conditam volunt anno Mundi 3256. imperante Ezechia Rege Juda, cum Sardanapalus Aſſyriæ Rex Ninive ab Arbace & Beleſo obſidione premeretur. Hæc vero ſingula prorſus recentia, ſi cum Orientalium, Hebræorum præſertim, antiquitatibus conferantur, ut proinde nullum ſit invenire monumentum, quo Pentatheuchi fidei poſſit derogari.

Nonnulli Pſalmi Moyſi perperam adſcripti.

XV. Præter Pentatheuchum, undecim etiam Pſalmos Rabbini Moyſi adſcribunt, vide licet pſalmum 89. & qui illum conſequuntur uſque ad

ad 99. Verum nulla ſatis firma conjectura hos Pſalmos ad Moyſem ſpectare intelligimus. Quamvis enim Pſalmus 89. *Domine refugium factus es* &c. præferat inſcriptionem illam: *Oratio Möyſis hominis Dei*; ex quo reliquos ordine ſuccedentes eidem Auctori tribuendos conjiciunt; illud tamen conſtat, Pſalmorum titulos nec originales, nec ſatis veteres, ac plerumque præpoſtere inſcriptos eſſe. Quid, quod in hiſce Pſalmis nomina virorum, atque alia quædam occurrant a Moyſe prorſus aliena? Quare nos cum clariſſimis Interpretibus credimus, nomen Moyſis Pſalmis illis additum, quod Levitam aliquem ex poſteris Moyſis auctorem habeant; ſive quod ab aliquo Propheta concinnati, a Cantoribus ex eadem familia canerentur; ſive tandem quod Auctor illorum Moyſes & ipſe appellaretur.

An Liber Jobi, & alia quædam Opuſcula Moyſem habeant Auctorem.

XVI. Liber Job ejuſdem eſt Moyſis, ſi veteres quoſdam audiamus. Vertiſſe tantum illud Opus ex Syriaco in Hebræum aſſeruit Origenes (*a*). Verum Judæorum & Chriſtianorum conſenſus eumdem Librum a Moyſe abjudicat. Nec ſane ratio occurrit, cur Opùs a Moyſe ſcriptum, ſeorſim a Pentatheucho in Bibliis exhiberetur. Occurrunt etiam quidam Libri apocryphi, inſcripti, *Apocalypſis*, ſeu *Revelatio Moyſis*, *Parva Geneſis*, *Aſcenſio Moyſis*, *Aſſumptio Moyſis*, *Teſtamentum Moyſis*, *Libri Myſtici Moyſis*, quorum fragmenta veteres

teres

(*a*) Orig. in Job.

teres nonnulli in ſuis Libris ſervarunt. Ex Aſſumptione autem Moyſis deſumptam ferunt hiſtoriam de altercatione inter S. Michaelem & dæmonem pro corpore Moyſis; quæ ſi vera eſſent, illi hiſtoriæ, licet ex libro apocrypho deſumptæ, per S. Judam divinam auctoritatem conciliatam fuiſſe, diceremus.

Altera poſt præſentem vita.

XVII. Illud tandem de Moyſe admirandum videtur, quod ſcilicet Legi obtemperantibus vitam æternam, diſertis ſaltem verbis, non polliceatur. Verum cum illa Lex eſſet imperfecta, nonniſi per promiſſionem bonorum temporalium, quæ imperfecta ſunt, ingerenda erat (*a*). Antiquiſſimis tamen illis Hebræis ſpes erat alterius poſt præſentem vitæ, quod Moyſes ipſe non ſemel inſinuat. Scribit enim, Abrahamum poſt obitum *congregatum fuiſſe ad populum ſuum* (*b*), inducitque Deum paria de illo, fratreque illius Aarone dicentem: *Jungeris populis tuis, ſicut mortuus eſt Aaron frater tuus, & appoſitus populis ſuis* (*c*); quæ ſane de Abrahami, Moyſis, & Aaronis cadaveribus nunquam exponerentur, cum avitis patrum illorum ſepulcris nequaquam condita fuerint. His ergo phraſibus apertiſſime inſtruimur, alterius vitæ, in qua ſimul illorum animæ convenirent, Patriarchis ſpem indictam fuiſſe. De igne, quo impii poſt mortem torquentur, habet idem Moy-

(*a*) S. Thom. 1. 2. q. 99. a. 6.

(*b*) Gen. xxv. 8.

(*c*) Deut. xxxii. 50.

Moyſes: *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad Inferni noviſſima* (*a*). Alibi etiam ſcribit: *Conſidera, quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & e contrario mortem & malum* (*b*). Conſtat utique, viros probos non ſemper ſua manere præmia in hac vita, nec impios pro merito ſupplicia. Alterius ergo vitæ ſeu bona, ſeu mala inſinuavit Moyſes. Profecto ſi nihil poſt obitum ſibi timebant, ſperabantque Judæi, cur ait Balaam: *Moriatur anima mea morte Juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia* (*c*). Moyſi congruunt Job, Salomon, Iſaias, Ezechiel, ut recentiores Hebræorum Auctores prætercam. Job ſane Gigantes, viros illos nefarios, *gemere ſub aquis* perhibet, ſimulque teſtatur, impios *ad nimium calorem tranſire ab aquis nivium* (*d*). Salomon *errantes a via doctrinæ in cœtu Gigantum commoraturos* prædicit, eorumque *conventum & convivium in profundis Inferni* a juvenibus voluptuoſis augendum (*e*). Iſaias Regi Babyloniæ extrema mala minitans, futurum denunciat, ut Gigantes e loco ſuo illi occurrant, venientemque illis verbis excipiant: *Et tu vulneratus es, ſicut & nos, & noſtri ſimilis effectus es. Detracta eſt ad Inferos ſuperbia tua*: omnemque ſpem ei ſociiſque adimit: *Gigantes non reſurgent*. Non abſimilia habet de Rege Ægypti

(*a*) Deut. XXXII. 22.
(*b*) Deut. XXX. 25.
(*c*) Num. XXIII. 10.
(*d*) Job XXVI. 5. XXIV. 19.
(*e*) Prov. II. 18. V. 5. VII. 27. IX. 18. XXI. 16.

pti Ezechiel: *Loquentur ei potentiſſimi robuſtorum de medio Inferni* (*a*). Hinc confutatur illorum opinio, qui docent, Judæos a Græcis, ſive a Perſis, vel Ægyptiis alterius vitæ dogmata tenuiſſe, ex illis vero hæc in Chriſtianos derivari (*b*). Moyſes enim, Jobus, & Salomon omnium prophanorum Scriptorum ætatem ſuperant. Iſaias quidem coævus ferme vixit Homero, & Heſiodo; aliquanto poſt floruit Ezechiel; utroſque tamen certo conſtare arbitror, nihil ſive de illis, ſive de illorum Operibus noviſſe. Quare quæ apud Poetas, alioſque prophanos Auctores de Inferno, detentiſque ibi Gigantibus leguntur, e ſacris Scriptoribus decerpta potius crederentur. Confer quæ modo ex Jobo allata ſunt cum iis, quæ Virgilius aliique referunt de igneo amne Phlegetonte, & algentiſſimo altero Acheronte.

Aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur ignis (*c*).

(*a*) Iſai. XIV. 9. XXVI. 14. Ezech. XXXII. 19.

(*b*) Vide Calm. dict. v. *Infernus*.

(*c*) Virg. 6. Iliad. 8. Heſiod. Theogon. alii; Vide hanc hiſt. l. 13. c. 7. n. 10.

FINIS

TOMI SECUNDI.

MAG 453

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google